


AB

g

38  $\overline{i, 21}$ .





721

*Handwritten scribble*

00 10













EXPLICATIO  
MALACHIAE  
PROPHETAE.

ET

CHRONOLOGIA  
HISTORIAE MACCA-  
bæorum, vsq; ad natum  
Christum deducta.

DAVID CHYTRAEVS.

ROSTOCHII

EXCVDEBAT IACOBVS  
TRANSYLVANVS.

ANNO M. D. LXVIII. 14



EXPLICATIO  
MAGNÆ  
PROPHECIÆ

ET

CHRONOLOGICA  
HISTORIA MAGNÆ

PROPHECIÆ  
CHRISTIANÆ

D. N. 1644. CURT. RAVEN.





REVERENDO

ET OPTIMO VIRO,

D. P E T R O E R B E R M A N N,

A M I C O S V O V E T E R I,

Et carissimo S. D.



N varijs Et magnis do-  
loribus, quos tristissima  
dogmatum dissidia, Et  
Ecclesiarum pie Et præ-  
clare constitutarum devastationes,  
partim à tyrannis, partim à sectarijs  
factæ, tibi, carissime Petre, et omni-  
bus pijs Doctoribus adferunt: præ-  
cipua Et firmissima consolatio est,  
quòd certò credimus Ecclesiam san-  
ctam Catholicam esse, Et inter has  
generis humani confusiones à Deo  
conseruari, Et in his ipsis ærumnis  
nos DEO curæ esse, Et ab eo propter  
Filium, quem diligimus, diligi, prote-

\*

2

gi, ser-



## EPISTOLA

gi, seruari, & æterna vita ac gloria donatum iri. Labores etiam docendi, exhortandi & consolandi nostros in excolendo Ecclesie agro à nobis positos, quantumuis sprete, & infrugiferi etiam, ac planè irriti, Mundo nostræq; rationi interdum esse videantur, tamen in Domino non inanes, sed Christo gratos & Ecclesie salutare esse: & quidem vberes ac lætos & in æternam vitam duraturos fructus parere & propagare, sicut venustissima imagine, ab Agriculis sumpta, Psalmus hanc promissionem pingit: Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent: Euntes eunt, & flentes portant preciosum semen: Venientes autem venient, portantes manipulos suos.

Non



DEDICATORIA.

Non dubito Augustinum ingenti dolore affectum esse, & larga lachrymarum flumina profudisse, cum Ecclesias continuo quadraginta annorum labore & fide à se in Africa plantatas, & piè ac præclare constitutas tandem extremo vitæ suæ tempore; eiectis per Vandalos pijs & orthodoxis pastoribus, & lupis Ariani in eorum loca substitutis, horribiliter dilacerari, & perire, & vastata incendijs ac cædibus tota vicinia, tandem ipsam urbem Hipponem, in qua tot annos Ecclesiam rexerat, cingi obsidione vidit: in qua cum ipse (anno Christi 433. die 28. Augusti) mortuus esset, & postea, decimo quarto mense obsidionis, vrbs capta, & templa omnia ab Arianis occupata essent: plurimi ipsius labo-

\* 3 res,





res, quos in spargendo veræ & sinceræ de Christo doctrinæ semine, & in Ecclesia Hipponensi & vicinis in tota Africa piè erudiendis, tot annos insumpserat, prorsus inanes & irritos fuisse iudicabant. Sed & Augustinus ipse, tristissimas illas & horrendas Africae vastationes intuens: hac firma consolatione, quam dixi, se sustentabat: & quo plures ac acerbiores lachrymas, in eundo, & spargendo semine precioso, profudit: eò uberioribus fructibus, & plures ac maiores manipulorum acervos in horrea Ecclesie totius posteritatis, & consuetudinis cum Filio Dei æternæ, intulit.

Adferunt autem, hæc Augustini ærumnæ & dolores, non mediocrem levationem, nostro etiam mœrori & acerb



acerbo luctui omnium piorum, ac  
 præcipuè doctentium, qui Ecclesias  
 puro Verbi diuini semine à se confi-  
 tas, sparsis ab inimico zizanijs, con-  
 taminari & perire cernunt: cum  
 præstantissimo Doctore Augustino  
 & alijs summis Ecclesiæ luminibus  
 similia omnibus ætatibus accidisse  
 videmus. Ac vt Augustinus, postre-  
 mo illo vitæ suæ tempore Vandali-  
 cam impietatem & immanitatem,  
 ipsa etiam templorum & urbium  
 ædificia euertentem, & crudelissimè  
 cædibus ac supplicijs vbiq; grassan-  
 tem intuens, duo hæc dicta assiduè in  
 ore habuit: Alterum Ethnici cuius-  
 dam sapientis: Non erit magnus,  
 magnum putans, quòd cadunt ligna  
 & lapides, & moriuntur mortales:  
 Alterum Psalmi 119. IVSTVS

\*

4

ES



**ES DOMINE,** & rectum iudi-  
 cium tuum: ita nos, in presentibus  
 Ecclesie & nostris calamitatibus,  
 Deo laudem sapientie & iusticie  
 tribuamus, ac etiamsi causas miran-  
 di consilij & promissionis diuine  
 non intelligimus: tamen omnia que  
 Ecclesie & nobis singulis eueniunt,  
 bona & mala, sapientissimo & iu-  
 stissimo Dei iudicio regi & guberna-  
 ri profiteamur.. Ideo enim condidit  
 Deus & seruat perpetuo genus hu-  
 manum, vt aliqui de ipso testes sint,  
 qui in tantis rerum humanarum con-  
 fusionibus, hanc veram de Deo con-  
 fessionem sonent: Non casu fortuito  
 ferri, & misceri omnia, sed verè esse  
 Deum inspectorem & gubernatorem  
 rerum humanarum, sapientem, iu-  
 stum & misericordem, qui in ipsis  
 ærumnis



DEDICATORIA.

erumnis nobis praesens adsit, & Fi-  
lij Mediatoris intercessione placatus  
opus ferat miseris, & immensa  
bonitate poenas mitiget & tollat.  
Hac fide & spe confirmati, militemus  
bonam militiam, retinentes  
fidem & bonam conscientiam: &  
placido magnoque animo brevia feramus  
incommoda, calumnias, odia,  
persecutiones, vel à tyrannis, vel à  
falsis fratribus, vel ab utrisque con-  
iunctim nobis imminentes. Hoc enim  
nobis (inquit D. Ieronimus) praestare  
Dei timor debet, ut alios omnes ti-  
mores contemnamus.

Ergo Fides innixa DEO, trepidantia firmet  
Pectora, & in moesto securum tempore tempus  
Presumat confisa Deo: nam non metuendi  
Causa timere Deum: fidant legionibus illi,  
Perfugioque parent reparatis moenia muris,  
Nulla salutiferi quibus est fiducia Christi.

\*

5

Nos



EPISTOLA

Nos Crucis inuictæ signum & confessio munit,  
 Armatiq; DEO mentem, non querimus armo  
 corporis &c.

Talem animum, vera fide & Spi-  
 ritus sancti robore confirmatum, non  
 dubito te in præsentî mutatione Ec-  
 clesiarum, quas docuisti, & vicina-  
 rum, & molestijs, quæ inde tibi ex-  
 titerunt, habere: & grauissimî  
 huius Nazianzeni versiculi senten-  
 tiam crebris & ardentibus votis re-  
 petere, θυμὲ βλέψον ἄνω, χθονίων  
 ἐπιλήθεο παντῶν: Sursum mens  
 spectata, terrenaq; despice cuncta. Eua-  
 nescunt enim, instar somnij & um-  
 bræ, omnia, quæ in his terris eximia  
 etiam & magna, bona vel mala, exi-  
 stimantur. Nulla humana potentia,  
 nullæ opes, non beneuolentia homi-  
 num, non gloria, multo minus volu-  
 ptates,



DEDICATORIA

ptates, imo nec vita ipsa durabilis &  
 certa est. Quantulum verò temporis  
 est, præsertim ad æternitatem colla-  
 tum, quo impiorum odijs, iniurijs, con-  
 uicijs, vellicationibus torquemur,  
 cum ipsum spiritum exhalemus, in-  
 terim dum trahimus, vt ille inquit.  
 Quare sursum spectemus, & quæ  
 sursum sunt, diuina & æterna bona,  
 quæramus, vbi Christus est in dexte-  
 ra Dei confidens. Superna curemus,  
 non terrena. Nam πολιτευμα no-  
 strum, non Rostochij, aut Eppingæ,  
 sed in cælis est, vnde seruatorem ex-  
 pectamus Dominum Iesum Chri-  
 stum, qui **MOMENTANEAM**  
**LEVITATEM** afflictionis no-  
 stræ, excellenti & æterno pondere  
 Gloriæ compensabit: & nos à tristi-  
 onere dubitationum & adfectuum  
 viciosorum



viciosorum liberatos, sua luce & sapientia experte omnis caliginis & tenebrarum, & sua iusticia ac vita experte omnis peccati & mortis, in omni æternitate complebit. Huius beatæ & cœlestis Ecclesiæ & Scholæ desiderio & spe certa, placido & magno animo, brevis & fugacissimæ huius vitæ mortalis molestias perferamus.

Memini autem communi spiritu Christi, & studiorum ac voluntatum similitudine, ante viginti tres annos, amiciciam inter nos conciliatâ fuisse. Cuius semina etsi non dubito nos in æternam Dei & cœlestis Ecclesiæ consuetudinẽ allaturos esse: ubi suavius ea fruemur: tamen interea etiam in hoc breui vitæ mortalis curriculo eam, crebrioribus per lite-



DEDICATORIA.

ras colloquijs, & exhortationibus ac  
consolationibus mutuis, coli à nobis  
cupio. Vt igitur meo exemplo te  
prior inuitem: hanc Epistolam ad te  
mitto. cui Malachiae Prophetæ ex-  
plicatiunculam, in hac Baltici litoris  
Sarepta à me traditam, adiunxi.  
Quæ cum de aliquot insignibus Reli-  
gionis & vitæ Christianæ partibus,  
commonefactiones non inutiles con-  
tineat: spero eam lectoribus non in-  
gratam fore. Bene & feliciter vale.  
Rostochij die Natali Filij Dei, à quo  
annum 1568. Ecclesia Christi or-  
ditur. Quare Filium Dei Seruato-  
rem nostrum IESVM CHRIS-  
TVM, à cuius Genethlijs, quæ  
vt æternæ salutis nostræ exordium  
fuerunt, ita anni principium conue-  
nientissimè ducunt: toto pectore pre-  
cor,



EPISTOLA DEDICATORIA

cor, Ut annum felicem, tranquillum  
& salutarem tibi & veteri collegæ  
& ciui tuo, D. Iohanni Dymaro, &  
dulcissimis plantulis horti cœlestis,  
quem in tua domo conseruisti, & toti  
Ecclesiæ ac Reipublicæ tribuat:  
& publicas ac priuatas calami-  
tates clementer mitiget  
& tollat.

AMEN.



LOCI



LOCA DOCTRINAE TRAE  
CAP. VI. QVI IN NOC  
De libello breuitate enarratur

I. DE TIMORE DEI & CIRCUMSTANTIA  
ne ac obedientia DEO debita.

II. DE PRAEDESTINATIONE  
THOMAE ECCLESIAE SECTAE

III. DE VERIS DEI CULTIBUS, ac praesertim  
cipue de SACRIFICIIS NO  
KATESTAMENTI

IV. DE OFFICIO BONORUM SACERDOTUM

V. DE FORTI CONCORDIA

VI. DE TEMPORE ADVENTUS OFFICII  
beneficij & regno CHRISTI  
SOLAS INSTICIAE

VII. DE PROVIDENTIA DEI, discernenda  
te pios Deum colentes, ab impijs  
curis, in hoc mundo florantibus.

VIII. De adventu ELIAE



LOCI DOCTRINÆ PRÆ-  
CIPVI, QUI IN HOC  
*Libello breuiter enarrantur.*

- I. DE Timore Dei, & Grati-  
tudi-  
ne ac obedientia DEO debita.
- II. De PRÆDESTINA-  
TIONE Ecclesiæ æterna.
- III. De veris Dei cultibus, ac præ-  
cipuè de SACRIFICIIS NO-  
VITESTAMENTI.
- IIII. De officijs BONORVM SA-  
CERDOTVM.
- V. De Fœdere CONIUGALI.
- VI. De tempore aduentus, officio,  
beneficijs & regno CHRISTI.  
SOLIS IUSTICIÆ.
- VII. De Prouidentia Dei, discernen-  
te pios Deum colentes, ab impijs Epi-  
curæis, in hoc mundo florentibus.
- VIII. De aduentu Eliæ.



EXPLICATIO  
MALACHIAE  
PROPHETAE.

**D**VÆ sunt præcipuæ partes doctrinæ de Deo, quam Christus, Propheta, Apostoli, & omnes Ecclesiæ Doctores ac ministri fideles, in suis concionibus & scriptis complexi sunt. videlicet LEX docens quòd sit & qualis sit DEVS, & quales nos homines esse, & quæ facere, quæ omittere oporteat, promittens bona obedientibus, & arguens ac damnans peccatum, & omnes homines peccato contaminatos. Deinde EVANGELION, seu promissio Gratiæ Dei, remissionis peccatorum, iusticiæ & vitæ æternæ, propter Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis passum & resuscitatum donanda: Quæ promissio, supra & extra rationis humanæ conspectum posita, solius Ecclesiæ Dei propria et peculiaris sapientia est, & accuratis ac conspicuis limitibus à Lege discernenda. Ut autem Fi-

A lius



lius Dei, Doctor & Redemptor noster Iesus Christus, mittens Apostolos, iubet predicare Legem et Euangelion, seu pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo: ita PROPHE TARVM quoq; prorsus eadem vox est, & officium principale, vt LEGE DEI peccata sacerdotum, principum & populi arguant, & iram Dei ac pœnas presentes & æternas denuncient, & rursus PROMISSIONE DE CHRISTO pios consolentur & erigant.

Quare & Malachie Prophete Conciones, ad duo hæc summa doctrine capita, ad LEGEM, & EVANGELION de Christo, referemus.

Pertinent enim ad LEGEM grauissimæ accusationes peccatorum populi & sacerdotum, qui pro summis Dei beneficijs, ac imprimis pro miranda conseruatione & reductione populi Israel ex Babylone in Iudæam, & instaurato sacerdotio publico & politico, Deum beneficij autorem ingrati & securi despiciebant: & principa-  
lia



lia sacerdotum officia, que sunt, veram & incorruptam Legis & Euangelij doctrinam fideliter predicare, & sacrificia, que Deus sua Lege mandauit, integra & impolluta, pralucente vero timore Dei & fide, offerre: & exemplo castitatis & ceterarum virtutum populo pralucere: secure negligebant. Aliqui etiam Epicurea audacia, florentem impiorum fortunam, & erumnas piorum intuentes, palam de providentia se dubitare ostendebant. Comminatur itaq; ingratissimis & impijs hisce sacerdotibus & populo maledictionem, & finem ac deletionem sacerdotij & politie & omnium sacrificiorum Leuiticorum. Hec summa est concionum legalium Malachie.

Ad EVANGELION vero & nouum Testamentum pertinent conciones splendidissime de CHRISTO SOLE IUSTITIAE, & de instante tempore aduentus eius, & de sacrificijs vere agnitionis & celebrationis gratie Dei in Christo promissa, vere fidei, inuocationis, gratiarum  
 A 2 actionis.



actionis, predicationis Euangelij, confessionis, patientiae in cruce, & aliarum hostiarum spiritualium, quae non tantum in angusto Iudaeae angulo, sed omnibus locis totius orbis terrarum, Deo per Christum grata & accepta, offerentur. Item, vaticinia de praecursore Christi Helia seu Iohanne Baptista: quae Christus ipse Matth. 11. & Angelus Gabriel Luca 1. allegant & interpretantur.

Constans autem Ebraeorum & Ieronimi etiam opinio est, hunc Malachiam fuisse ESDRAM scribam, seu doctorem populi Iudaici ex Babylone reuersi principum, qui anno septimo Artaxerxis Longimani regis Persarum, anno post Aggae & Zachariae ministerium 62. anno ante natum Christum 457. instructus edicto Regis, & priuilegio, quod immunitatem, & αυτονομία in iurisdictione & cultibus diuinis, populo Iudaico concedebat, Ierosolyma profectus est: & muros Urbis, leges Reipub: & publicum ministerium Ecclesiae instaurauit, 1. Esdr. 7. 2. Esdr. 8 & 9. cap. Ac



Ac multe Malachiae conciones cum historia Esdrae omnino congruunt. Vt enim Malachias, boni sacerdotis officium cap. 2. his verbis describit: Lex veritatis in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius: in pace & equitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem DOMINI exercituum requirent ex ore eius, quia Angelus DOMINI exercituum est: Ita Esdras, viuum exemplum est boni sacerdotis & doctoris, qui toto corde & inuestigat legem Domini, & facit, & docet eam in populo Israel. Deinde, vt Malachias, sacerdotum impiam securitatem, auariciam, libidines, quibus ministerium polluebant, & populi negligentiam & perfidiam in offerendis sacrificijs, decimis, & alijs rebus ministerio debitis, grauissimè accusat: Ita 2. Esd. 13. nominatim de sacerdotibus dicitur: Recordare Domine Deus meus, aduersum eos, qui polluant sacerdotium, iusq; sacerdotale & leuiticum.



Leuiticum, & ducunt alienigenas, quas Malachias cap. 2. filias Dei alieni nominat. Hæc congruentia concionum Malachie & historie Esdre, occasionem fortè veteribus præbuit, ut eundem esse Malachiam & Esdram iudicarent.

Significat autem nomen Malachias Angelum, seu nuncium seu legatum. Sicut omnes Propheta, Apostoli & ministri fideles sunt angeli seu legati à Deo missi, ut voluntatis diuinæ nuncij & interpretes in genere humano existant: ut hic Propheta inquit, sacerdotem sonantem doctrinam à Deo traditam, esse Angelum Domini Zebaoth. Et Paulus 2. Corin. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo adhortante per nos, reconciliemini Deo. Ita ipse Filius Dei à nostro Propheta Angelus Testamenti vocatur, quia promissionem gratiæ seu reconciliationis cum Deo, ignotam omnibus creaturis, primus ex arcano consilio diuinitatis prolatam, generi humano annunciauit.

LOCI



LOCI DOCTRINÆ  
PRAECIPVI, IN PRIMO  
Capite obseruandi.

- I. CONCIO LEGIS, accusans impiam ingratiuudinem populi Israel, & omnium nostrum, erga Deum, paterno amore nos complectentem & plurimis ac summis beneficijs quotidie cumulantem.
- II. Doctrina de SACRIFICIIS & discrimine sacrificiorum veteris & noui Testamenti.
- III. De Fine sacerdotij & politie Iudaice.
- IIII. De Vocatione gentium.
- V. De Prædestinatione seu aeterna electione Ecclesie Deo dilectæ, ad quam hæc sententia ex initio capitis I. Malachie (Iacob dilexi, Esau autem odio habui) à Paulo Roma. 9. accommodatur.
- VI. Allegoria mensæ & panum, ac sacrificiorum pollutorum.



8 DE PRIMO LOCO.

DILEXI VOS, DICIT  
DOMINVS.

**V**T Paulus inquit, Pœnas, quæ Israelitis acciderunt, typos fuisse & exempla pœnarum, quæ omnes similibus peccatis pollutos obruent: & scriptas esse, vt nos quoq; de ira Dei aduersus nostra peccata, & pœnitentia vera & vite emendatione serio suscipienda admoneant: Ita hanc Malachia concionem, taxantem populi Israelitici impietatem, ingratitude & neglectum ac contemptum Dei summa beneuolentia & amore eum prosequentis, verè ad nos etiam pertinere, & nostram quoq; ingratitude & securitatem ac neglectionem Dei & verbi ac beneficiorum diuinorum, accusare statuamus.

Verè enim nos singulos ita alloquitur Deus: **ARDENTER AMO ET DILIGO VOS:** idq; his τερμῆσις demonstro: Primùm, quòd condidi vos ad imaginem meam, naturas mentis diuinæ participes.



participes, & quae in me ipso summa bo-  
 na erant, sapientiam, iusticiam, liberta-  
 tem voluntatis &c. in vos transfudi.  
 Deinde patefeci vobis in peccatum &  
 mortem lapsis, arcanam promissionem de  
 reconciliatione, & unigenitum Filium  
 meum misi, ut vestram naturam assu-  
 mat, & pro vobis victima fiat, & aboli-  
 to peccato & morte, vobis iusticiam &  
 vitam aeternam restituat. Institui etiam  
 ministerium Euangelij, & Sacramento-  
 rum, per quod aeternam Ecclesiam mihi  
 inter vos colligo, & remissionem peccato-  
 rum, liberationem à tyrannide Diaboli  
 ac mortis, & salutem aeternam, vobis pro-  
 pter unigenitum Filium Redemptorem  
 vestrum Iesum Christum, impertio: sicut  
 de his illustribus Amoris diuini erga vos  
 testimonijs scriptum est Iohan. 3. Sic  
 DEVS DILEXIT mundum, ut Filium  
 suum unigenitum daret, ut omnis, qui  
 credit in eum, non pereat, sed habeat vi-  
 tam aeternam. Rom. 5. Commendat au-  
 tem suam erga nos DILECTIONEM  
 A S DEVS,



DEVS, quòd cùm essemus peccatores,  
 Christus pro nobis mortuus est. 1. Iob. 4.  
 In hoc apparuit DILECTIO DEI erga  
 nos, quòd Filium suum unigenitum mi-  
 sit Deus in mundum, ut viuamus per  
 eum. In hoc est dilectio, non quod nos  
 dilexerimus DEVM, sed quod ipse di-  
 lexit nos, & miserit Filium suum propi-  
 ciatorem pro peccatis nostris. Rom. 8. Quis  
 nos auellet à DILECTIONE DEI: qui  
 proprio Filio non pepercit, sed pro nobis  
 omnibus tradidit illum &c. Postremo  
 etiam in hac vita vos multis magnis be-  
 neficijs quotidie orno, dedi vitam, do vi-  
 ctum, honestam educationem, artes vite  
 necessarias, bonam valetudinem, hone-  
 stum locum, bonam famam, felix coniu-  
 gium, defendo familias & fortunas ve-  
 stras, mitigo pœnas, quas meriti estis, do  
 vigorem ingenij & sensuum & membro-  
 rum mediocrem, incolumes oculos, ma-  
 nus, pedes, deniq; omnes res in tota uni-  
 uersitate nature, solem, lunam, ignem,  
 aquam, terram fecundam, vestris utili-  
 tatibus



ratibus & commodis seruientem. Hæc infinita & tanta bona, tamq̃, illustria, quibus quotidie fruimur, euentissima argumenta sunt, quibus ad veram subiectionem & obedientiam, ac gratitudinem DEO totamente & omnibus vite officijs prestandam exuscitari debebamus.

Exigit enim Deus pro tot beneficijs nihil à nobis aliud, quàm honorem Patri, & timorem Domino, debitum.

Est autem HONOR Deo debitus, agnoscere Deum sapientem, bonum, misericordem, beneficum, paterno nos amore & beneuolentia propter Filium Mediatorem complecti, & omnium beneficiorum spiritualium & corporalium datorem esse. Ideoq̃, vicissim se reuerenter verocorde Deo subijcere & gratias agere, & hanc fidem & gratitudinem externa voce ac celebratione beneficiorum diuinorum, & totius vite obedientia cum præceptis Dei congruente, declarare.

Psal. 115. Quid retribuam Domino, pro omnibus



omnibus que retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini predicabo.

TIMOR DOMINO DEO debitus, est, expauescere agnitione ira Dei aduersus nostra peccata, & filiali metu ire ac iudicij diuini vitare delicta, & se reuerenter Deo subijcere, & Deo obedire iuxta omnia ipsius mandata.

Sed tanta est, proh dolor, negligentia, tanta securitas, tātus stupor omnium nostrum, ut tot amoris diuini erga nos testimonijs quotidie propositis, rarissimè & frigidissimè de Deo autore bonorum, quibus assidue fruimur, & de Honore ac Timore ipsi vicissim debito, cogitemus: sed ingrati & securi negligimus Deum, & omnibus cupiditatibus frenos laxamus, nec vllum grati pectoris motum ardentem erga Deum sentimus.

Itaq; non miremur, nos tristissimis calamitatibus & arumnis, ut pestilenti ac mortifera lue, que circiter 10000 hominum superiore anno ex hac urbe sustulit,

Dein-



Deinde bello & fatali mutatione Rei-  
publica, militum presidio, crebris exa-  
ctionibus, caritate annonae, & quod tristi-  
ssimum malum est, exemplis prophanita-  
tis & turptudinis morum militarium, &  
corruptelis honestae disciplinae iuuentutis,  
grauissimè puniri. Utinam verò agnosca-  
mus manum Dei prementem, & reuer-  
tamur ad percutientem nos. Non enim  
repellet in sempiternum Dominus, nec  
afflixit ex corde suo, nec penitus abiicit  
nos filios suos, sed ut scrutemur vias no-  
stras, & queramus & reuertamur ad  
Dominum, & leuemus corda nostra cum  
manibus ad Dominum in caelis, ut Iere-  
mias de tristissimis calamitatibus & exci-  
dio urbis Ierosolymae concionatur. Nulla  
igitur alia ratione mitigationem presen-  
tium arumnarum, & liberationem ex  
aeternis malis impetrari posse sciamus,  
quàm pœnitentia & inuocatione Dei se-  
ria, quam ut in nobis accendat Deus,  
fons omnis boni, & donator pœnitentiae  
salutaris, & effundens in corda nostra  
spiritum



spiritum clamantem Abba Pater: toto eum pectore precemur. Postquam autem de principali doctrina primi loci, & applicatione ad nos ipsos, breuiter diximus: Textum etiam Prophetae eodem accommodatum euoluemus.

Status & summa concionis, est Prophetia de onere seu pœna sacerdotum, & populi Israel, & fine ac interitu politiæ ac sacerdotij Israelitici. Huius pœnæ horrendæ causam fuisse Propheta dicit, impiam ingratitude[m] erga Deum, qui paterno amore & dilectione complexus populum Israel ex Babylone incolumem in Iudæam reduxit, & instaurata urbe, politiâ, templo & sacerdotio, clementer conseruauit et defendit. cùm Idumæos ex fratre Israelis, Esau seu Edomo ortos, funditus deleuerit: nec ullam spem restitutionis reliquam ipsis fecerit. Hoc illustri τερμαρτίου suum erga eos amorem cum ostenderit Deus, queritur vicissim, sibi nec honorem nec timorem debitum tribui, idq; non tantum à populo, verum etiam à sacerdotibus,



cerdotibus, qui doctrina & exemplis pietatis & timoris Dei populo praeire & prae-lucere debebant.

Nominatim igitur taxat peccata, Neglectionem Honoris & Timoris Dei, quam comitatur securitas carnalis, leuiter curans iram & iudicium, mandata & comminationes diuinas, & tandem Epicurea contemptio Dei, & verbi, ac beneficiorum diuinorum, quam etsi verbis non exerebant, tamen externa vita & moribus & sacrificijs pecudum viciosarum, quas Deus Leuit. 22. seuerissime prohibuerat, non obscure declarabant. Sacerdotes vero, quibus praeceteris custodia legis diuinitus commendata erat, praecipue nomen DEI despectum reddebant, & contumelia afficiebant, deprauatione verae doctrinae & verorum cultuum Dei, propagatione vel certe toleratione superstitionum & falsarum opinionum, turpitudine vite ac morum, & imprimis auaricia & questus cupiditate despectam et pollutam red-dentes mensam Domini, dum omnis generis



neris sacrificia munda & immunda, caeca, clauda, vel alijs rapta, recipientes, nihil referre ostendebant, qualescunq; victima offerrentur, tantum, ut in Dei conspectum & templum vacui non venirent. Propter hac sacerdotum peccata praecipue nomen Dei deformari & contumelijs affici Propheta queritur, ut et Paulus Rom. 2. Iudeos accusat: Ecce tu Iudaeus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & confidis te esse ducem caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientum, doctorem stultorum &c. Qui igitur alios doces, te ipsum non doces: qui praedicas non furandum esse, furaris &c. qui in lege gloriaris, per transgressionem legis Deum dedecoras. Nam nomen Dei propter vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est Esaie 52. Ezech. 36.

Quod autem hoc in loco Malachias Iudeis sacerdotibus comminatur, Deum iratum omnia eorum sacrificia reiecturum, & finem sacerdotij & politiae Iudaicae.

caim.



ae impositurum esse : id Paulus, totam legem Mosaicam docendo abrogans, & delens, & postea Romani, totam politiam, templum & urbem Ierosolymam funditus evertentes, executi sunt.

ALLEGORIA MENSÆ  
ET PANVM POLLV-  
torum.

**L** Euit. 24. iubet Deus, in mensam auream, qua ante sanctum sanctorum, seu chorum Templi, ad dexteram, sita erat, 12. panes novos singulis sabbatis collocari, quorum unusquisq; haberet duas decimas, seu quintam partem Eph. Congruit autem ferè mensura Eph. cum Medimno Attico, septuaginta duos sextarios capiente, ac precium Medimni tritici lege constitutum Athenis fuerunt quinq; drachmæ, seu dimidius Coronatus, ut testatur Demosthenes in Oratione contra Phormionem. Fuit igitur precium unius panis in mensa Domini sacerdotibus propositi, una drachma, seu quatuor solidi

B Lube-



Lubecenses. Tales duodecim masse panis  
 grandiores, etiam numerosa et ample fa-  
 milia sacerdotis una hebdomada alende  
 sufficiebant: Presertim, cum quotidiana  
 pecudum & frugum, & aliorum cibo-  
 rum sacrificia accederent, quae eam ob  
 causam quoque instituta erant, ut sacer-  
 dotes & ministri Ecclesiae Iudaicae, eo-  
 rumque familia victum inde necessarium  
 haberent. Ita enim Dominus ordinavit,  
 ut qui altari seruiunt, de altari alantur.  
 Et qui Euangelium annunciant, ex Euan-  
 gelio uiuant. Ut autem victimae Leui-  
 ticae & reliqua sacrificia simul etiam ty-  
 pi erant victimae Christi, quae sola tollit  
 peccatum mundi, & hostiarum spiritua-  
 lium acceptarum Deo per Christum: sic  
 Panes facierum in Mensa aurea collocati,  
 quos solis sacerdotibus edere licebat, si-  
 gnificarunt CHRISTVM, Panem vitae  
 aeternae, qui de caelo descendit. Ut enim  
 pane triticeo haec corporalis hominum vita  
 alitur & sustentatur: ita Christus est  
 panis (id est, similis pani, res viuifica,  
 alimen



alimentum vite) à Deo datus, ut vitam spirituales & eternam, videlicet veram agnitionem Dei, veram iusticiam & vitam, ac leticiam diuinam, in animis hominum accendat, foueat & sustentet. Manducare autem hunc panem oportet fide rectè agnoscente Christum, que omnia Christi beneficia sibi applicet, & firmiter amplectatur. Hoc modo vescentes Christo pane vite, sunt sacerdotes, id est, Deo sacri & dicati, habentes ius d cendi Euangelion de Christo, & inuocandi Dei, & offerendi sacrificia & cultus à Deo mandatos, sicut in lege etiam præceptum erat, ut Thus summis panibus imponeretur. Significant enim Thymiamata preces sanctorum, que nisi Christo mediatore nitantur, Deo acceptæ & grate esse nequaquam possunt. 1. Pet. 2. Vos estis regale sacerdotium, gens sancta, ad offerendas hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

MENSA verò gestans panes facierum, typus est ministerij Euangelici, in

B 2 quo



quo per praedicationem Euangelij & administrationem Sacramentorum credentibus distribuitur panis vite, Dominus noster Iesus Christus, cum omnibus beneficijs & donis suis, quae sunt lux vera agnitionis essentiae & voluntatis diuinae, liberatio à peccato & morte, reconciliatio cum Deo, donatio Spiritus sancti, consolatio in omnibus doloribus & erumnis, deniq; iusticia, vita & salus aeterna. Ad hanc Mensam alludit Psalmus 23. *Parasti in conspectu meo mensam, etsi ambulauero in umbra mortis, non timebo mala, quia tu mecum es, virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

Offerunt autem panes pollutos, & Mensam Domini seu ministerium despectum reddunt sacerdotes, qui doctrinam de Christo pane vite, falsis & hypocriticis opinionibus contaminant, ut exempli causa, qui in populo Iudaico docebant, Messiam fore regem politicum, qui regna mundi Iudaeis distributurus esset: non fore victimam abolentem peccata, & restitu-

tuentem



tuentem iusticiam & vitam aeternam:  
 docebant mereri homines remissionem  
 peccatorum & vitam aeternam proprijs  
 operibus & sacrificijs, & observatione  
 ceremoniarum seu traditionum huma-  
 rum. Non monebant, sacrificia esse typos  
 victima Christi, qua sola peccata mundi  
 expiaret: & fidem seu fiduciam nitentem  
 victima Christo, oportere omnibus sacri-  
 ficijs & operibus piorum praelucere. Sine  
 hac fide, recte agnoscente & applicante  
 sibi beneficia Christi, caeca & clauda &  
 languida sacrificia offeruntur. Christus  
 enim solus est lux mundi, vera pietate et  
 sapientia mentes illustrans, solus est via  
 plana & recta, ducens ad aeternum Pa-  
 trem, solus est potentia & virtus Dei ad  
 salutem omni credenti. Ab hac luce &  
 via, qui aberrant, cæci & clauda & lan-  
 guentes, nunquam hostia Deo grata &  
 placentes futuri sunt.

Ieronimus panum pollutorum Allego-  
 riam ad indignè utentes pane Cænae Do-  
 mini accommodat. Polluimus panem, id

B 3 esto



est, corpus Christi, quando indigni accedimus ad Altare, & sordide mundum sanguinem bibimus, & dicimus: Mensa Domini despecta est. non quod hoc aliquis audeat dicere, & quod impiè cogitat scelerata voce proferre, sed opera peccatorum despiciunt Mensam Dei.

## TERTIVS LOCVS.

## DE SACRIFICIIS

VETERIS ET NOVI

Testamenti.

## IN OMNI LOCO SA

crificatur & offertur nomini meo oblatio munda &c.

SACRIFICIA in genere sunt opera, à Deo mandata, que nos Deo exhibemus, hoc fine, ut eum honore afficiamus, hoc est, ut testemur hunc verè esse Deum, quem sic colimus: & nos ei obedire.

SACRIFICIA LEVITICA, erant oblationes pecudum, ciborum, vini, frugum &c. à Deo per Moysen populo Israel mandata.



mandata, ut essent nervi ministerij & discipline, & typi significantes venturum Christi sacrificium, & omnes hostias spirituales acceptas Deo per Christum.

SPECIES SACRIFICIORVM LEVITICORVM precipue erant, primum SANCTA SANCTORVM, id est, sanctissima, de quibus solis sacerdotibus vesci licebat, et quorum pleraque propiciatorium Christi sacrificium adumbrabant. ut holocaustum, & iuge seu quotidie repetendum sacrificium agni, erant typi victimæ Christi, qui est verus Agnus Dei, tollens peccata mundi. Item sacrificium pro peccato, scilicet ignorantie & omissionis, & pro delicto ἐκ προαφροσύνης admissio, Levit. 4. 5. 6. 7. Sacrificium consecrationis sacerdotum Levit. 8. vituli & hirci in festo expiationis sacerdotum. Levit. 16. vacca ruffa Num. 19. Agni in Paschate immolati Exo. 12. Levit. 23. 1. Corint. 5: Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.

Alia erant SANCTA VVLGARIA seu εὐχαριστία, ut sacrificiū pacificorum,

B 4 quod



quod Lutherus Levit. 3. & 7. vertit  
 Dankopffer. Item, oblationes primi-  
 tiarum, primogenitorum, decimarum:  
 adderem etiam Minha, seu sacrificium  
 cibarium, ut farine, panum, olei, fru-  
 gum &c. omnibus holocaustis & pe-  
 cudum sacrificijs addendum, nisi hoc so-  
 lis sacerdotibus destinatum fuisse Moy-  
 ses Levit. 2. 6. & alibi ostenderet.  
 Bis autem in hac Malachie concione vo-  
 cabulum Minha usurpatur: priori loco,  
 ubi nos legimus. Munus non suscipiam  
 de manu vestra: Posteriore, Oblatio mun-  
 da. Deducitur enim à verbo (NAHA,)   
 quod adducere & offerre significat.

Horum sacrificiorum Leviticorum  
 fines & usus precipui erant, 1. ut exer-  
 citia obedientie, 2. & gratitudinis Deo  
 debite, & 3. nervi ac vincula ministerij  
 publici, & 4. picture ac typi sacrificij &  
 beneficiorum Christi, & 5. hostiarum spi-  
 ritualium seu omnium bonorum operum,  
 & 6. signa confessionis, & 7. sacerdotum  
 stipendia & alimenta essent.

Vnicum



Unicum autem reuera SACRIFICIUM PROPICIATORIUM, sua dignitate placans iram Dei, & reddens Deum propicium, in mundo fuit, videlicet Passio Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, qui deriuans in se horrendam aduersus omnia hominum peccata iram Dei, & obediens Deo in acerbissimis cruciatibus anime & corporis, & morte, offert semetipsum eterno Patri, & hac oblatione seu obedientia in passione et morte satisfacit pro peccatis hominum, & iustissimam iram Dei placat, & hominibus remissionem peccatorum, reconctiationem cum Deo, liberationem à morte, iusticiam & vitam aeternam promeretur, ut Ebre. 10. dicitur. Cum impossibile esset sanguine taurorum & hircorum tolli peccatum &c. CHRISTVS ipse unicum pro peccatis offerens sacrificium, perpetuo consedit ad dexteram Dei: unica enim oblatione consummauit (id est, perfectam iusticiam & salutem promeruit, seu perfecte redemit & iustos ac

B s beatos



beatos reddidit.) in perpetuum sanctificatos. Hinc perspicuum est, ea, que in lege dicebantur, sacrificia propiciatoria, pro peccato, pro delicto, tantum signa fuisse sacrificij Christi, quibus pij pro Sacramentis seu signis gratia fidem exuscitantibus & confirmantibus. vsi sunt. Impijs verò seu non renatis fuisse exercitia disciplinae, que seruantes consequerentur remissionem delictorum, in politia Moysis, ita, ut à publicis sacris & officijs politicis non excluderentur.

Alia autem esse vera & aeterna sacrificia, in quibus sese Deus ipse nobis communicat, & est efficax, videlicet studia doctrinae à Deo tradita, veram agnitionem Dei, lucentem in mente, veram confessionem, inuocationem, gratiarum actionem, dilectionem Dei & proximi, conformitatem cordis, & leticiam in Deo. Hæc sacrificia inchoantur in hac vita, & manent in omni aeternitate: per que templa Dei efficimur, & Deus se nobis communicans in nobis habitat, & vicissim homo celebrat Deum.

Sunt



Sunt igitur EVCHARISTICA SA-  
CRIFICIA, omnia opera à Deo mandata,  
 que prælucente vera in Christum fide, à  
 nobis fiunt, hoc fine, ut Deus honore affi-  
 ciatur, hoc est, ut testemur hunc verè esse  
 Deum, quem sic colimus, & pro acceptis  
 beneficijs gratias agamus, seu gratiam  
 referamus hac nostra obedientia. Nec  
 sunt precium pro peccatis, nec merentur  
 facienti vel alijs remissionem peccato-  
 rum, sed sunt testificationes nostre obe-  
 dientie & gratitudinis erga Deum.

Fons autem & origo prima verorum  
sacrificiorum, est ministerium docendi,  
 seu prædicatio Euangelij, per quod essen-  
 tia & voluntas Dei erga nos, et MAGNI-  
 tudo misericordie DEI & beneficiorum  
 Filij ipsius Domini nostri Iesu Christi,  
 gratuita bonitate nos in gratiam suam  
 & æternæ beatitudinis societatem reci-  
 pientis, & ius sacerdotij seu docendi  
 Euangelij, & invocandi Deum, & offe-  
 rendi hostias spirituales acceptas Deo per  
 Christum, nobis tribuentis, hominibus in-  
 notescit.

*Fundamentum  
 sacrificiorum  
 Verum.*



notescit, sicut Paulus Rom. 15. inquit, Se esse ministrum Iesu Christi inter gentes, sacrificantem Euangelion Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, sacrificata in Spiritu sancto, hoc est, se docendo Euangelion verè colere & honore afficere & celebrare Deum, & veri Dei ac beneficiorum Christi noticiam inter gentes spargere, ut homines Euangelion audientes, fiant hostie acceptæ Deo, & sanctificati per Spiritum sanctum sacerdotes offerant Deo veros cultus, veram fidem, invocationem, gratiarum actionem, letam obedientiam erga Deum, in hac vita & omni eternitate.

Sunt igitur vera & summa noui Testamenti sacrificia Eucharistica, de quibus Malachias hoc in loco concionatur: Euangelion seu veram de Deo & Domino nostro Iesu Christo doctrinam docere, audire, discere, fide amplecti, predicare confiteri, & fiducia Christi Mediatoris inuocare Deum, patienter tolerare afflictiones, & in his auxilium & liberationem

nem



nem à Deo petere & expectare, pro omnibus beneficijs Christi gratias agere, Deum & proximum ardentem diligere, letari in Deo, & vero corde & pia voce & totius vite obedientia Deum celebrare.

Ex hac simplici declaratione doctrina de sacrificijs, perspicuè apparet, quæ sit sententia vaticinij Malachia: Ab ortu solis usq; ad occasum, magnum erit Nomen meum in gentibus, hoc est, toto terrarum orbe predicabitur Euangelion, per quod vera agnitio Essentia & voluntatis Dei paterna bonitate & misericordia nos propter Filium complectentis, vera noticia personæ & beneficiorum Iesu Christi, immenso nostri amore pro nobis incarnati, passi, mortui & resuscitati: vera fides statuens se propter Christum à Deo in gratiam recipi, & æterna salute donari. Confessio & propagatio doctrina: vera invocatio, fiducia Christi Mediatoris ad Deum, velut Patrem φιλόσοφου accedens: spes auxiliij & liberationis diuina, gratiarum actio pro omnibus beneficijs



ficys Dei spiritualibus & corporalibus:  
 vera & ardens dilectio proximi, deniq;  
 leta obedientia erga omnia mandata  
 Dei, ad Deum honore & gloria afficien-  
 dum directa, in cordibus auditorum ac-  
 cendatur. ita MAGNUM fiet seu glori-  
 ficabitur nomen Domini, hoc est, rectè  
 agnoscetur & celebrabitur Deus, &  
 magnis ac amplissimis laudibus extolle-  
 tur immensa bonitas & misericordia Dei  
 in Christo declarata. Et in omni loco  
 (non tantum super altare aureum in tem-  
 plo Ierosolymitano) offeretur Deo incen-  
 sum, videlicet, pia & ardēs invocatio, quæ  
 sursum elata, & nubes ac cælos penetrans  
 mirificè delectat Deum, perinde ut nos  
 fragranti odore Thuris aut Rose suaviter  
 recreamur. Hanc interpretationem in-  
 censi seu Thymiamatis Mosaici Exod. 31.  
 instituti, suppeditat Psalmus 140. Diri-  
 gatur oratio mea, sicut incensum in con-  
 spectu tuo. Et Iohan. cap. 5. Apocal. Ha-  
 ben es phialas plenas Thymiamatis, quæ  
 sunt preces sanctorum. Ita & Ter-  
 tullianus



Iulianus enarrat: in omni loco incen-  
 sum nomini meo offeretur, & obla-  
 tio munda, scilicet simplex oratio de con-  
 scientia pura, id est, fide purificata.  
 Item, sacrificia Prophetarum significa-  
 bant hominem quondam peccatorem, ver-  
 bo mox Dei immaculatum offerre debere  
 munus Deo, orationem scilicet & actio-  
 nem gratiarum per Christum Iesum,  
 catholicum sacerdotem Patris. Item in  
 Apologetico: Offero ei opimam & maio-  
 rem hostiam, quam ipse mandavit, ora-  
 tionem de carne pudica, de animo in-  
 nocenti. Et contra Iudeos, de hoc ipso  
 Malachie loco inquit: Indubitate, quod in  
 omni terra exire habeat predicatio Apo-  
 stolorum.

Nec discrepat ab hac interpretatione  
 Irenæi sententia, qui præsens Malachie  
 vaticinium ad Cœnam Domini, seu Eu-  
 charistiam accommodat, sicut etiam ple-  
 rig, patres Cœnam Domini sacrificium  
 & oblationem & Eucharistiam nomi-  
 nant. Nam in Cœna Domini predicatur  
 summa



Summa Euangelij de Christo pro nobis in mortem tradito, & sanguine ipsius pro nobis in remissionem peccatorum nostrorum effuso. Et ad hanc predicationem seu commemorationem mortis & beneficiorum Christi, accedunt preces, & publica gratiarum actio pro omnibus beneficijs Christi, & flagitatur fides, certò statuens nobis propter Christum pro nobis mortuum peccata remissa esse: & confessio ac confirmatio fidei in sumptione corporis & sanguinis Domini. & bonum propositum retinendi hanc fidem, & obediendi Deo: & in prima Ecclesia accesserunt oblationes eleemosynarum, panum, vini, frugum, fructuum, que post decantatum Symbolum à singulis communicantibus offerebantur: de quibus panes aliqui & pars vini consecrabantur: reliquum in usus pauperum & ministrorum postea distribui solebat.

Hec omnia coniuncta nominat vetustas oblationem & sacrificium, vide' iceꝝ Eucharisticum. Ideoꝝ Cœnam Domini  
• vocat



cat Euxαρισίαν, ut de hoc ipso noui Testa-  
menti sacrificio Irenaeus inquit: Oportet  
nos oblationem Deo facere, & in omnibus  
gratos inueniri fabricatori Deo, in sen-  
tentia pura, & fide non hypocritica, in spe  
firma, in dilectione feruenti, primitias  
earum, quæ sunt eius, creaturarum, offe-  
rentes, & hanc oblationem Ecclesia sola  
puram offert fabricatori, offerens ei cum  
gratiarum actione ex creatura eius.

Offerimus autem Deo, non quasi in-  
digenti, sed gratias agentes donationi  
eius, & sacrificantes creaturam. Itaq; de-  
dit populo præceptum faciendarum obla-  
tionum, quamuis non indigeret eis, ut  
disceret Deo seruire. Sic & nos quoq;  
vult afferre munus ad altare frequenter  
sine intermissione, Est ergo altare in cæ-  
lis. Illuc enim preces nostræ & oblationes  
nostræ diriguntur.

Ex his Irenæi verbis perspicuum est,  
quid in 32 Capite nominet Noui Testa-  
menti nouam oblationem, videlicet non  
sacrificia pecudum in veteri Testamen-

C

to usi-



to usitata, nec oblationem Corporis & Sanguinis Christi ex opere operato merentem facienti & alijs remissionem Culpe & pœnæ: sed totum Cultum noui Testamenti, quem Irenæus nominat veram agnitionem Dei, puram doctrinam, fidem non hypocriticam, spem firmam, obedientiam, misericordiam seu dilectionem proximo seruientem: in primis vero preces & gratiarum actiones, & testimonia gratitudinis & obedientiæ Deo debite, oblationes primitiarum (ut Irenæus modo loquendi sumpto ex veteri Testamento nominat) ex creaturis Dei, videlicet panum, vini, & cæterarum rerum, quæ in primitiua Ecclesia quotidie fiebant ad altare, in quo Cæna Domini celebrabatur: sicut & Canones Apostolorum indicant. Ex his oblationibus sumebatur pars, quæ consecraretur, reliquum distribuebatur pauperibus.

Ad hunc primitiue Ecclesie morem, sumptum ab Israelitis, qui ad altare & templum Domini in summis festis accedentes,



dentes, munera certa offerebant: respi-  
 ciens Irenaeus, inquit: Sed & suis discipu-  
 lis dans consilium, primitias Deo offerre  
 ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed  
 ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint,  
 eum, qui ex creatura panis est, accepit,  
 & gratias egit, dicens: Hoc est meum  
 corpus. Et calicem similiter, qui est ex  
 creatura, quae est secundum nos, suum  
 sanguinem confessus est, & noui Testa-  
 menti nouam docuit oblationem, quam  
 Ecclesia ab Apostolis accipiens, in uniuers-  
 o mundo offert Deo, ei qui alimenta  
 nobis praestat, primitias suorum mune-  
 rum in nouo Testamento, de quo in XII.  
 Prophetis Malachias sic praesignificauit:  
 Non est mihi voluntas in vobis, dicit Do-  
 minus omnipotens, & sacrificium non ac-  
 cipiam de manibus vestris. Quoniam ab  
 ortu solis usq; ad occasum, nomen meum  
 glorificatur inter gentes, & in omni loco  
 incensum offertur nomini meo, & sacrifi-  
 cium purum. Quoniam magnum est No-  
 men meum in gentibus, dicit Dominus O-



omnipotens : manifestissimè significans per  
hac, quoniam prior quidem populus cessa-  
uit offerre Deo : omni autem loco sacrifi-  
cium offertur ei, & hoc purum, nomen  
autem eius glorificatur in genibus .

Incensa autem Iohannes in Apoca-  
lypsi orationes ait esse sanctorum . Igitur  
Ecclesie oblatio, quam Dominus docuit  
offerri in uniuerso mundo, purum sacrifi-  
cium reputatum est apud Deum, & acce-  
ptum est ei, non quòd indigeat à nobis sa-  
crificium, sed quoniam is, qui offert, glori-  
ficatur ipse in eo quod offert, si accepte-  
tur munus eius. Per munus enim erga re-  
gem & honos & affectio ostenditur: quòd  
in omni simplicitate & innocentia Domi-  
nus volens nos offerre predicauit, dicens:  
Quum igitur offers munus tuum ad Al-  
tare, & recordatus fueris, quoniam frater  
tuus habet aliquid aduersum te, dimitte  
munus tuum ante altare, & vade pri-  
mùm reconciliare fratri tuo, & tunc re-  
uersus offer munus tuum. Offerre igitur  
oportet Deo primitias eius creatura, sicut  
& Moises



Et Moyses ait: Non apparebis vacuus ante conspectum Domini Dei tui, ut in quibus gratus extitit homo, in his gratus ei deputatus, eum, qui est ab eo, percipiat honorem. Et genus oblationum reprobatum est, oblationes enim & illic, oblationes autem & hic: sacrificia in populo, sacrificia in Ecclesia, sed species immutata est tantum, quippe cum iam non à servis, sed à liberis offeratur.

Hic totus locus testatur, Ireneum non de sacrificuli opere offerentis in Missa corpus & sanguinem Christi pro vivis & defunctis, sed de communibus omnium piorum oblationibus. & sacrificijs Elemosynarum, & aliorum operum bonorum Eucharisticis loqui, quibus fidem, & bonam conscientiam offerentis, necesse est praelucere. Nequaquam igitur hinc efficitur, quòd Papistæ colligunt, Cœnam Domini esse. Sacrificuli privatam oblationem seu sacrificium propiciatorium.

Non fingit Cœnam Domini seu Missam esse privatam opus sacrificuli & sacrificium



crificium propiciatorium, in quo corporis  
 & sanguinis Christi oblatio Deo Patri à  
 sacerdote facta ex opere operato merea-  
 tur remissionem peccatorum, & alia bo-  
 na facienti, & alijs, viuis & defunctis,  
 vel quod meritum & beneficia sacrificij  
 Christi, per hanc ceremoniam sacerdotis  
 oblationem, alijs applicentur. Hæc porten-  
 ta nunquam somniasse patres ex eorum  
 scriptis manifestum est. Et nota sunt di-  
 cta: Christus SEMEL in fine seculorū ad  
 abolitionem peccatorum per sacrificium  
 sui ipsius apparuit. Item: Christus uni-  
 ca oblatione in perpetuum consumauit  
 & sanctificandos. Et applicatio huius uni-  
 cæ oblationis semel in ara crucis factæ  
 non alieno sacrificuli opere fit, sed pro-  
 pria cuiusq; fide, & proprio usu Sacra-  
 menti. Ac ut nemo pro alio baptizari po-  
 test, ita nec Missa, seu Sacramentum Cæ-  
 næ Domini pro alio applicari potest.

IIII. & V. LOCVS.

DE



39

DE FINE SACERDOTII ET POLITIÆ IVDAICÆ,  
& vocatione gentium.

NON EST MIHI VOLUNTAS IN VOBIS, dicit Dominus Zebaoth, & oblationem non suscipiam de manu vestra.

Sacerdotium & politia Mosaica eam præcipue ob causam Anno mundi 2453 à Deo per Moisen constituta, & deinceps mille quingentos annos mirabiliter defensa est, ut bibliotheca & schola vere doctrine de Deo & promisso Mediatore Domino nostro Iesu Christo, & verorum Dei cultuum, certa & stabilis esset, in qua Christus ipse, expleto tempore diuinitus constituto, videlicet anno mundi, 3992. Euangelion sua voce doceret, & miraculis confirmaret. Ut autem caterarum urbium & politiarum excidijs declarat Deus ὡς τῶν μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαίεσι καὶ αἰ τιμωρίαι παρὰ θεῶ: Quod atrocia delicta atrocibus

C 4 pænis



pœnis à Deo puniantur, ita vrbs Ierosoly-  
 ma & totum sacerdotium ac politia Mo-  
 saica, cum horrenda ingratitude & se-  
 curitate veram de Deo & redemptore  
 nostro Iesu Christo doctrinam negligeret  
 & aspernaretur, & falsis ac idolatricis  
 opinionibus & cultibus Deum contume-  
 lia afficeret: & tandem Christum ipsum  
 & Apostolos crudelissimè persequeretur,  
 horribili exemplo unà cum sacerdotio &  
 sacrificijs omnibus deleta & extincta  
 est: hac etiam de causa, ut templi & po-  
 litiae deletio doceret, ceremonias & sacri-  
 ficia Mosaica in nouo Testamento penitus  
 abrogata, & non amplius obseruatu ne-  
 cessaria esse, sicut paulò antè Daniel præ-  
 dixerat cessaturas esse post exhibitum  
 Christum hostias & sacrificia, & finem  
 ac vastitatem fore totius politiae. Et hic  
 Malachias disertè vaticinatur, non pla-  
 cere Deo populum & sacerdotes impios,  
 nec se deinceps suscepturum esse oblatio-  
 nes de manibus sacerdotum leuiticorum,  
 sed reiectis Iudæis se per prædicationem  
 Euangelij



Euangelij, ministerio Apostolorum, ab ortu usq; ad occasum, spargendi, vocaturum esse gentes, quae neglectis & plane omis-  
 sis ceremonijs & sacrificijs Mosaicis, ad unum locum urbis Ierosolymae alligatis, in omnibus locis totius orbis terrarum  
 nova & aeterna sacrificia, videlicet nominis diuini agnitionem, fidem, inuoca-  
 tionem, gratiarum actionem, & letam obedientiam erga Deum oblatura sint.

Passim autem testimonia de vocatione gentium in promissione tradita Abrahae, in concionibus Esaiae & alibi extant, de quibus in capite quarto Micheae commo-  
nefactionem recitauit.

## VI. LOCVS.

## DE PRÆDESTINATIONE.

IACOB DILEXI,

Esau autem odio habui.

ET si de posteritate Iacob & Esau potius quam de utriusque persona, Malachiam

C S



lachim hoc in loco concionari apparet: cum inquit, posteris Esau funditus ex Idumaea deletos: Israelitas autem, singulari dilectione Dei ex Babylone in terram suam restitutos & conseruatos esse: sicut Ieronimus etiã interpretatur, Antequam nasceremini, in Iacob vos dilexi, in Esau Idumaeos odio habui: tamen cum Paulus ad Rom. 9 presens Malachiae testimonium ad doctrinam de Praedestinatione Ecclesiae aeternae, & de electione Iacob, & reiectione Esau transferat: breuem de ea parte doctrinae commonefactionem adiungam.

Est autem Electio seu Praedestinatio aeternum decretum Dei de Ecclesia ex genere humano gratuita misericordia propter Filium colligenda, per praedicationem Euangely, cui credentes, & in fide usq; ad mortem perseuerantes in omni aeternitate Dei conspectu, sapientia, iusticia, vita & leticia beati fruuntur, & vicissim Deum celebrabunt. De hac electione Ecclesiae aeternae sciamus nobis ex  
solo



solo verbo Dei, & quidem non ex lege, sed ex Evangelio Christi, iudicandum esse, quod docet causam electionis ad vitam eternam, esse non vlla merita aut opera nostra, sed gratuitam bonitatem & misericordiam Dei propter dilectum Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, colligentis Ecclesiam, & nos singulos ab eterno eligentis, & per verbum Evangelij vocantis & regenerantis, & in eterna beatitudinis societatem cooptantis. Ephe. 1. Deus elegit nos in Christo, antequam iacerentur fundamenta mundi, iuxta beneplacitum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, quae gratis dilexit nos in Filio dilecto.

Ad hanc eternam & gratuitam electionem Ecclesiae & heredum vitae aeternae, accommodat Paulus praesens Malachiae dictum: Iacob dilexi, Esau autem odio habui, Rom. 9. Non omnes qui sunt ex Israel (scilicet propagati ex Israel, seu patriarcha Iacob, carnali generatione, aut regnantes in ordinaria successione) sunt



sunt Israel (id est, vera Ecclesia, seu populus Dei, membra vera Ecclesiae, Deo placentes, & heredes vitae aeternae.)  
 Neque quia sunt semen Abraham, (id est, nati ex Abraham carnali propagatione, Iohan. 8. omnes filij (& heredes vitae aeternae promissae Abraham) sed in Isaac vocabitur tibi semen, (id est, Isaac diuina promissione datus & electus est verum semen seu verus filius Abraham, vel ex Isaac nascetur promissum semen, Christus) Hoc est, non qui filij carnis (Ismael, Zamram, Madian, Maphiam, Apher &c.) ij filij Dei (& heredes vitae aeternae) sed qui filij sunt promissionis, (id est, qui à Deo promissi & dati sunt Abraham, & qui credunt promissioni traditae Abraham) Computantur in semen, (Iohan. 1. Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.)  
 Non solum autem hic, sed & Rebecca,

ca,



ca, cum ex vno concepisset Isaac patre nostro (idem experta est) Nondum enim natis ijs (Iacob & Esau) cum neq; boni quippiam fecissent, neq; mali, vt secundum electionem Dei propositum maneret, non ex operibus, (nostrorum operum) sed ex vocante dictum est illi (Rebecca, Gene. 25) quod maior seruiet minori, sicut scriptum est: (Malachia 1.) Iacob dilexi, Esau vero odio habui.

Vt enim antea filiorum Abrahae, ita nunc filiorum Isaac & Rebecca exemplo docet Paulus, filios Dei seu membra aeternae Ecclesiae fieri, non ullis operibus ac meritis, & dignitate propria, sed sola electione, & proposito ac vocatione Dei fundatam esse fidelium salutem, nec fauorem & misericordiam Dei ullis nostris operibus conciliari, sed ex gratuita vocatione per Euangelion & Sacramenta nobis patefieri, offerri & applicari, vt



non operantes, sed gratuito Dei dono in Christum credentes, qui iustificat impium, iusti & beati reddamur.

Quod autem disputant aliqui, Deum ex praescientia futurorum operum bonorum Iacob dilexisse: id prorsus cum praesenti loco Pauli pugnat, qui disertè omnia eorum opera et merita excludit, ut ostendat, fundamentum praedestinationis salvandorum, non in operibus, quae ipsi faciunt, aut facturi sunt, sed in sola electione & vocatione, & misericordia Dei, propter Christum promissa, positum esse.

Nec abutitur Paulus testimonio Genesis, quod de corporali iure primogeniti, & externa benedictione, à Esao ad Iacobum translata, non de praedestinatione ad salutem vel damnationem aeternam precipuè loqui videtur. Significat enim Paulus, voluisse Deum externis symbolis primogeniturae & benedictionis paternaespiritualis Iacobi electionem & benedictionem aeternam declarare. Imo hac ipsa Esai primogeniti reprobatio, & Iacobi  
 iunioris



iunioris electio, typus fuit reiectionis Synagoge Iudaicae, & vocationis gentium, quae nullas carnales prerogatiuas habebant.

Est autem haec summa vera & salutaris doctrinae de Praedestinatione, à Paulo cap. 9. 10. & 11. ad Romanos exposita.

Ecclesia seu populus Dei, hoc est, homines Deo cari & accepti, & heredes vitae aeternae, sunt, non nati carnali generatione ex Abraham, & proprijs operibus ac meritis iusticiam & salutem aeternam obtinere volentes. sed omnes ex Iudaeis & gentibus gratuita misericordia propter Christum electi, vocati, & per Euangelion qui in Christum credunt, & in hac fide usq; ad finem vitae perseuerant. Deus enim gratuita bonitate & misericordia sine ullo nostrorum operum aut meritorum respectu, ex Iudaeis & gentibus aeterna praedestinatione elegit sibi Ecclesiam seu populum recte ipsum agnoscentem, & colentem, & heredem vitae aeternae propter Filium suum Dominum



Dominum nostrum Iesum Christum. Nec vero quenquam elegit Deus ad salutem eternam, nisi per predicationem Euangelij Christi vocatum, ut Rom. 8. dicitur: Quos elegit, hos & vocavit. & Rom. 10. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo autem inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Quomodo credent, de quo non audierunt? Quomodo audient sine predicante? Non igitur electos esse ullos imaginemur apud Ethnicos, aut Turcos, aut alios cætus hominum, qui vocem Euangelij de Christo non audiunt, nec legunt, sed prorsus ignorant, ut Iohan. 5. dicitur: Omnis, qui credit in Filium Dei, habet vitam eternam. Qui verò non credit Filio, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum.

Etsi autem miratur & fremit humana ratio, cum maximam generis humani partem ignaram Euangelij, & florem sapientie & virtutis Ethnice, Socratem, Platonem, Aristidem, Senecam, & alios honestos homines inter Ethnicos,  
à Deo



à Deo reiectos & damnatos esse audit, tamen nos, qui diuina Maiestatis respectu lutum & fœnum sumus, non contradicere aut exostulare cum Deo, aut iniusticie eum, qui solus est iustus, accusare, sed reuerenter in verbo & voluntate ipsius reuelata acquiescere decet: & ardenti pectore Deo gratias agere, quod nos indignos, et nihilo damnatis Ethnicis meliores, ad lucem Euangelij sui et æternam salutem vocauit, & nos infantes cœtui vocatorum per Baptismum insertos & renatos, in locum filiorum & heredum vitæ æternæ adoptauit.

Cùm igitur NOBIS puram & salutarem Filij sui Domini nostri Iesu Christi doctrinam predicari sinat, nos eam reuerenter audiamus, discamus, fide amplectamur, & vere fidei ac pietatis cursum, usq; ad extremum vite spiritum, constanter teneamus, & nos diligi à Deo & exaudiri, & ad vitæ æternæ hereditatem receptos esse non dubitemus.

D

Signa



Signa enim seu  $\tau\epsilon\rho\mu\iota\sigma\tau\alpha$  certa & indubitata habemus, primum ipsam vocem Euangelij, seu promissionem gratiae & salutis aeternae uniuersalem & gratuitam, Iohan. 6. Hac est voluntas Dei Patris, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

Deinde Baptismum, quo in fœdus gratiae & salutis aeternae cooptati & recepti sumus. Saluos enim nos fecit Deus per lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus sancti.

Tertio, Cœnam Domini, quae est pignus & sigillum applicationis gratiae seu remissionis peccatorum, quam suo corpore & sanguine omnibus ad ipsum confugientibus promeruit.

Quarto, Fidem in nostris pectoribus accensam & lucentem, qua nos agnoscere personam & beneficia Christi, & promissioni



missioni Euangelij assentiri, & certo statuere nobis propter Filium peccata remitti, & vitam aeternam donari scimus.

Quinto, Inuocationem Dei veram.

Sexto, Promissiones de firmitate Electionis, & auxilio Dei confirmantis & seruantis fidem nostram, ut in ea usq; ad finem vite perseuerare possimus. Ioh. 10. Oues meae vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam aeternam do eis, & nemo rapiet eas ex manibus meis. Luc. 22. Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Iohan, 17. Oro autem non pro Apostolis tantum, sed pro omnibus credituris per verbum eorum in me.

His promissionibus fidem & inuocationem exuscitemus & stabiliamus, ut una cum Paulo hanc πληροφορίαν usurpare possimus, Rom. 8. Certus sum, quod neq; mors, neq; vita, neq; angeli &c. neq; vlla creatura possit nos auellere à dilectione Dei, qua nos diligit in Christo Iesu Domino nostro. Ita doctrinam de Predestinatione, ad exercitia fidei, & consolationem



tionem salutarem. Nunc ad dictum  
Malachie, & caput nonum ad Romanos  
redeo.

1 Cum enim mentes humane, audien-  
tes duos fratres, iisdem parentibus geni-  
tos, nondum in lucem editos, & meritis  
pares, ita discerni, ut alter ad eternam  
salutem assumatur, alter reijciatur: sta-  
tim cogitent, hæc cum iusticia reddente  
æqualia æqualibus non convenire: Pau-  
lus ipse iam hanc obiectionem attexit:  
Quid igitur dicemus? Num iniusticia  
est apud Deum? (qui Iacob & Esau in  
omnibus pares, non pariter diligit vel  
odit, sed hunc repudiat, illum recipit.)  
Absit. Nam Mosi dicit: (Exod. 33.)  
Miserebor cuius misereor: & commi-  
serabor, quemcunque commiseror.  
Respondet enim ad obiectionem, Deus non  
est propterea iniustus. Nam electionis  
causa est misericordia gratuita, non debi-  
tum iusticia. Cum igitur ambo in pecca-  
tis concepti essent, utrunq; odisse Deus po-  
terat.



poterat, sed quòd Esau odit, iusticia est reddentis debitum peccato. Quòd Iacob diligit, misericordia est, non debite, sed gratuite.

Non enim est, ut Augustinus inquit, iniusticia vel προσωποληψία, quòd debita redditur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum quærat, nec dignum se iste gloriatur: atq; ibi potius acceptio nulla fit personarum, ubi una eademq; massa damnationis et offensionis inuoluit, ut liberatus de non liberato discat, quod sibi etiam supplicium conueniret, nisi gratia subueniret. Si autem gratia, utiq; nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata. Sed inu-

stum est, inquit, in una eademq; mala causa, hunc liberari, illum puniri. Nempe ergo iustum est utrumq; puniri? quis hoc negauerit. Agamus ergo gratias saluatori, dum nobis redditum nō cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim utriq; liberarentur, lateret, quid peccato

D 3 per iu-



per iusticiam debeat: Si nemo, quid gratia largiretur, & cetera, quae in Epistola Augustini 105. ubi hunc ipsum locum, de dilectione Iacob, & reiectione Esau, prolixè tractat, integrè legantur.

Igitur non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & preparat adiuuandam, & adiuuat preparatam. Praecedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quae autem non praevenerit ipsa, in his est & ipsa. Nolentem enim praevenerit Deus ut velit, volentem subsequitur ne frustra velit (ut Augustinus in Enchiridio ad Laurentium inquit) Dicit autem Scriptura Pharaoni: (Exodi 9.) Quia in hoc ipsum excitavi (haamidah stare feci, sustentavi, servavi, te haectenus non subito deleui) ut ostendam in te (impio, potente & truculento tyranno puniendo) fortitudinem meam, & ut annuncietur nomen meum in vniuersa terra.



terra. (id est, ut mea potentia & iusticia, quam in horrenda pœna Pharaonis declaravi, & immensa bonitas & misericordia mea, quam miranda liberatione Israelitarum ex Aegypto & mari rubro ostendi, in uniuersa terra celebretur.) Ergo cuius vult, miseretur, (non iusticia, sed misericordiae gratia) quem verò vult, indurat (nō iniquitate, sed veritate vindictæ, non impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam indurat, siue desertione, siue alio modo explicabili vel inexplicabili. Nam Deus non volens impietatem, non vult mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & viuat.) Dices ergo mihi, Quid adhuc conqueritur? (Deus de duricie & contumacia impiorum) Voluntati enim eius quis restitit? imo verò ô homo tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo? (Causa enim consilij & voluntatis diuinae, cur impios multos in sua duritie & impietate relinquat? Cur plerisq; gentibus

D 4 bus



bus, annos circiter 4000 lucem saluti-  
 fere doctrinae suae non accenderit, vel  
 certè predicari non permiserit? cur in  
 cœtu audientium Euangelion quorundam  
corda flectat ad assensionem & fidem,  
alios in sua incredulitate relinquat, igno-  
ra nobis esse potest, iniusta esse nequa-  
quam potest.) Num dicet figmentum  
 ei, qui finxit: Cur me fecisti sic?  
 (Esa. 29. 48. Iere. 18.) An non habet po-  
 testatem figulus luti, ex eadem massa  
 facere aliud quidem vas in honorem,  
 aliud in ignominiam? (quare etiamsi  
 Deus impios ad interitum crearet, tamen  
 non possent ex postulare cum Deo Creatore  
 suo. Creauit autem Deus homines non  
 ad impietatem & exitium aeternum, sed  
 ad imaginem & similitudinem suam)  
 Quod si Deus volens ostendere iram,  
 & notam facere potentiam suam, tu-  
 lit in multa patientia vasa iræ,  
 (id est, homines sua impietate iram Dei  
 aduersus se irritantes, vt Pharaonem, lu-  
 dam &c.) apparatus (à Deo destinata)



in interitum : & (hoc fecit) ut notas  
 faceret (in pœnis & damnatione impio-  
 rum) diuitias gloriæ suæ (thesaurum  
 misericordiæ & beneficiorum Christi)  
 erga vasa misericordiæ, homines gra-  
 tuita misericordia Dei electos, & Euan-  
 gelio credentes) quæ præparauerat in  
 iram : (Deest redditio : Non potes dispu-  
 tare cum Deo, seu, non debes irasci Deo)  
 Quos & vocauit, (quæ vasa misericor-  
 diæ, seu quos homines, misericordia Dei  
 electos, per Euangelion vocauit : accom-  
 modata constructione πρὸς τὸ σημαίνονμενον :  
 alioqui relatiuo neutro uti debuisset.)  
 nimirum nos, non solum ex Iudæis,  
 sed et ex gentibus, ut Osea (cap. 1. & 2)  
 dicit : Vocabo non populum (gentes)  
 populum meum, (Ecclesiam, seu homines  
 rectè Deū agnoscentes & colētes, heredes  
 vitæ æternæ propter Christum) & non di-  
 lectam (Gentium Ecclesiam) dilectam,  
 (id est, electam ad vitam æternam, &

D 5                      mibi



mihi caram & gratam propter Filium  
 dilectum) & erit in loco, ubi dictum  
 erat eis, Non populus meus vos, ibi vo-  
 cabuntur filij Dei uiuentis. ( id est,  
 gratuita Dei misericordia, per uerbum  
 Dei uiuentis renati et adoptati in filios &  
 heredes Dei, quos Deus paterno amore  
 complectitur & diligit, sicut Iacob dile-  
 xit, & sine ullo operum respectu ad vi-  
 tam eternam elegit) Esaias autem cla-  
 mat: (capite 10) Si fuerit numerus fi-  
 liorum Israel tanquam arena maris,  
 reliquiae salui fient. ( id est, maxima  
 multitudine populi Israel pereunte, aliqui  
 tamen pauci Israelitae Euangelio creden-  
 tes ad Deum conuertentur, & salui fient)  
 Verbum enim consummans & abbre-  
 uians in iusticia, quia uerbum abbre-  
 uiatum faciet Dominus in terra.  
 ( id est, Deus consummationem & finem  
 faciens polittie Iudaicae, effundet iusti-  
 ciam Euangelij in reliquias populi Israel  
 & in omnes gentes. Ita enim fontes Esaiæ  
 Ebraei



Ebrei habent: Consummatio decisa seu  
 prefinita exundabit iusticiam: Consum-  
 mationem, & quidem decisam faciet  
 Dominus in terra. Sumpsit autem Paulus  
 verba ex translatione Graeca, quae obscu-  
 rior est, et, Verbum, more hebraeo usurpat  
 pro re seu negocio: & participia pro ver-  
 bis indicatiui modi. Et prius membrum  
 posteriore declarat. Verbum abbreviatum  
 faciet Dominus in terra, id est, rem abbre-  
 uiatam seu finem politicae Iudaicae faciet  
 Dominus in terra.) Et sicut prius dixit  
 Esaias: (cap. 1.) Nisi Dominus Ze-  
 baoth (exercituum) reliquisset nobis  
 semen, (id est, aliquos pios Israelitas, &  
 in Christum credentes, qui in amplissi-  
 mas arbores excreuerunt, & fructus toti  
 humano generi salutare tulerunt, Pau-  
 lum, Petrum, Barnabam, & ceteros Apo-  
 stolos, & 72. discipulos & alios) Ut So-  
 doma facti fuissetus, & Gomorrae  
 assimilati fuissetus. (in quibus urbi-  
 bus non quinq; py homines inueniri po-  
 tuerunt, Gen. 18. & 19.)

Quid



Quid igitur dicemus, quòd gentes,  
 quæ non sectabantur iusticiam,  
 (legis vel Euangelij) apprehenderunt  
 iusticiam, iusticiam autem eam, quæ  
 est ex fide? (id est, Gentes credentes  
 Euangelio Christi, quod gratuitam iusti-  
 ciam & salutem offert, veram iusticiam  
 & vitam eternam adeptæ sunt) Israel  
 autem, qui sectabatur legem iusticiæ,  
 (iusticiam legalem) ad legem iu-  
 sticiæ non peruenit. propter quid?  
 quia non ex fide, sed tanquam ex ope-  
 ribus legis. (id est, Iudæi non credentes  
 Euangelio, sed contemnentes & perse-  
 quentes Christum, propter quem gratis  
 iusticia ipsis offertur, & proprijs operibus  
 volentes iusticiam & salutem promere-  
 ri: à Deo reijciuntur & damnantur.)  
 Impegerunt enim in lapidem offensio-  
 nis, scilicet Christum, cuius cruce & do-  
 ctrina abolente legem Mosaicam, & offe-  
 rente gratis iusticiam indignis, Iudæi of-  
 fense.



fensi, eum contemnunt & persequuntur) sicut scriptum est: (Esaie 8. & 28) Ecce pono in Zion lapidem offensionis, et petram scandali, (scilicet incredulis) Et omnis, (sive Iudeus, sive Ethnicus, sive habes aliqua honesta opera, sive nulla habens, sive Phariseus, sive Publicanus) qui credit in eo, (Christo. id est, qui propter Christum, gratuita Dei misericordia, sibi peccata remitti, & salutem aeternam donari credit, & in hac fide usq; ad mortem perseuerat) Non confundetur. (non pudefiet, non frustrabitur sua expectatione, sed uere iustus & Deo placens, & ad vitam aeternam electus & predestinatus erit.

Hanc breuem noni Capitis ad Romanos expositionem, dicto Malachie: Iacob dilexi, Esau autem odio habui, quod eo in loco à Paulo citatur, addidi eam precipue ob causam, ut phrases obscuriores, utcumq; declarate, sententiam quoq; Pauli magis perspicuam & gratam auditoribus redderent.

SE-



## LOCI DOCTRINÆ

præcipui.

I. *Concio Legis, comminans maledictionem & pœnas spirituales & corporales, sacerdotibus præcipuè, violantibus mandata Dei, tum in negligendis necessarijs sui muneris sacerdotalis officijs, tribui Leui commendatis, tum in coniugij legibus temerè & licenter polluentibus: dum & alienigenas seu idolatrarum filias ducunt, & primas coniuges petulanter repudiant & abijciunt. Pertinet ad primum, tertium & sextum Præceptum, & ad hæc dicta: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, visitans seu puniens iniquitatem. Item. Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.*

II. *DE OFFICIIS BONORVM SACERDOTVM, SEV MINISTRORVM ECCLESIAE.*

PACTVM



**PACTVM MEVM FVIT**  
 cum Leui vitæ & pacis, & dedi ea  
 illi ob timorem, quia timuit me, & à  
 nomine meo pauebat. Doctrina ve-  
 ritatis fuit in ore eius, & iniquitas  
 non est inuenta in labijs eius: in pace  
 & in æquitate ambulauit mecum,  
 & multos auertit ab iniquitate. La-  
 bia enim sacerdotis custodiunt scien-  
 tiam, & legem requirent ex ore eius,  
 quia Angelus seu legatus Domini ex-  
 ercituum est.

**HÆC** Malachiæ concio, principale  
 officium sacerdotum esse custodiam  
 & prædicationem vere de Deo doctrinæ  
 ostendit: & eruditam ac integram ferè  
 boni Sacerdotis definitionem & Ideam  
 continet.

Est enim **BONVS SACERDOS**, perso-  
 na timēs Deū, et à Domino Deo Zebaoth  
 vocata & missa, ut veram de Deo & Re-  
 demptore nostro Iesu Christo doctrinam fi-  
 deliter



deliter custodiat, & docendo propaget: & multos ab iniquitate ad veram Dei agnitionem & fidem conuertat. Item. oret pro se & alijs, habens promissionem, quòd propter Christum Mediatorem certò exaudiatur: & offerat sacrificia laudis Deo placentia: & exemplo verae pietatis & ceterarum virtutum, precipuè verò studij pacis & equitatis, alijs hominibus praluceat, & ad amandam ac discendam doctrinam eos inuitet.

Multi existimant Leuiticos sacerdotes sacrificiorum causa precipuè constitutos fuisse, ut pecudes maectarent & offerrent, & munda ab immundis discernerent: Sed haec Malachiae concio ostendit, longè maiorem curam & grauius officium Leuitis impositum fuisse, videlicet ut verae doctrine de Deo custodes & interpretes essent, qui Legem & promissiones de Messia & eius sacrificio ac beneficijs Christi rectè enarrarent, & ambigentibus animis responderent, & grauissimarum de dogmatibus & alijs rebus con-

trouer-



trouersiarum iudices essent. Sacrificiorum autem ritus ideo additi erāt, ut typi & imagines essent venturae vere victimae Christi, & occasiones erudiendi populum de sacrificio Christi, quo solo & unico omnia totius Mundi peccata expiari, & fide ad illud confugientibus iusticiam & salutem aeternam restitui docebant. Huius doctrinae custodiam & propagationem sciamus precipuam sacerdotum Leuiticorum functionem fuisse, quam fideliter obeuntibus, vicissim VITAM & PACEM, hoc est, omnia bona, animae & corporis, seu presentem & aeternam salutem Deus promisit.

Ordine autem officia sacerdotum in presenti Malachia concione recitata considerentur, quae numeris distinguam.

Primum luceat in sacerdotibus verus TIMOR Dei, serio statuens esse Deum inspectorem & iudicem omnium cogitationum & actionum humanarum, & filiali reuerentia ac metu ire ac iudicij diuini vitans omnia delicta, & fideliter faciens

E

ciens



ciens omnia sui muneris officia diuinitus mandata, & voluntatem ac verbum Dei omnibus rebus humanis anteferens. Hoc enim prestare nobis debet Dei Timor, ut omnes alios timores contemnamus.

Deinde sonet in ore Sacerdotis LEX Veritatis, hoc est, DOCTRINA (Nam vocabulum Thora, quod legem vertunt, non tantum Decalogum, sed in genere doctrinam significat, à radice Iarah, docuit, instituit, erudiuit) de vero Deo, de vera Dei agnitione & inuocatione, de lege Dei, de peccato, de vera iusticia & salute aeterna propter Christum Semen benedictum, Adæ et Abraha promissum, donanda, de vera fide in Christum, de veris cultibus Dei, de vera pœnitentia, de vera Ecclesia &c. Hanc doctrinam immensa bonitate ab ipso Deo in libris Prophetarum & Apostolorum patefactam, docere, interpretari, propagare, & alios homines de vera agnitione Dei, & Redemptore nostro iesu Christo, & aeterna salute sua erudire, vnum ex precipuis & summis



summis & difficillimis sacerdotij mune-  
ribus est. Merito igitur dolemus, quod  
passim & omnibus etatibus accidere vi-  
demus, cum alys artibus omnibus iustum  
discendi tempus tribuatur, multos in  
Theologia, priusquam recte & integre  
summam doctrine Christiane didicerint,  
imò priusquam titulos sacrorum librorum  
cognouerint, ad grauissimum docendi of-  
ficiu[m] prosilire: & sapientes se, si modo  
velint, subito esse putare: & cum pro-  
prium inscitiam non agnoscant, alios do-  
cere velle. Id se intuentem Nazianze-  
nus sepe cum lachrymis deplorasse scribit,  
εὐειδόμενα ὅτι τὸ οἰεσθαι τὸ εἶναι τὸ πλεῖστον  
ἀφαιρέται.

Magnam autem eruditionem, pru-  
dentiam, exercitationem, dicendi copiam,  
& multas alias artes ad perspicue do-  
cendum, & inprimis ad sacras literas  
enarrandas, & rationem docendi ad di-  
uersa genera auditorum, & peritorum ac  
imperitorum captum, instar Medici, ad  
diuersa temperamenta & morbos attem-

E . a . peran.



perandam requiri, omnes prudentes intelligunt. Quare hac ipsa doctrine mentione nos ad diligentiam & intentionem animi & assiduitatem in discendo praestandam exuscitari sciamus.

Tertium munus Sacerdotis est, fugere & refutare falsam doctrinam. Iniquitas non est inuenta in labijs eius, id est, non docuit falsa & impia dogmata: sicut Paulus iubet Episcopum non modo tenacem esse verae doctrinae à Deo traditae, sed etiam à falsis opinionibus & Iudaicis fabulis, & doctrinis hominum auersantium veritatem, abstinere, & contradicentes euidenter conuincere. Ad hanc propugnationem veritatis, & refutationem errorum, non tantum amor veritatis, peritia doctrinae Christianae mediocris, prudentia & sagacitas, verum etiam cognitio antiquitatis, & precipuorum certaminum ac iudiciorum Ecclesiae, acumen & exercitatio in disputando, diserte orationis copia, & magna doctrinae & artium varietas flagitatur.

Quartum



Quartum est, Exemplo verae pietatis  
 & omnium bonorum operum, praecipue  
 vero studij pacis & aequitatis, auditoribus  
 praelucere, ut qui doctrina non mouentur,  
 honestate vite ac morum Sacerdotis, ad  
 veram pietatem inuitentur: iuxta illud  
 Matth. s. Luceat lux vestra coram homi-  
 nibus, ut videant vestra bona opera, &  
 glorificetur Pater vester, qui in caelis est.

Et Nazianzenus:

μη διδάσκειν, η̄ διδάσκειν τῷ τρόπῳ  
 μη τῆ μερ ἔλκειν, τῆ δ' ἀπωθεσθαι χεροῖν:  
 ἢ τῶν δεισῆ το λέγειν, πρᾶττωρ ἅ δ' εἶ.

Quintum est, Multos auertere ab ini-  
 quitate, & ad pœnitentiam veram & fi-  
 dem, ac vite emendationem, ac obedi-  
 tiam Deo placentem, voce doctrine, pla-  
 cidis admonitionibus, grauibus cohorta-  
 tionibus, conuersatione vite, & bonis ex-  
 emplis inuitare & attrahere.

Sexto, principale officium Sacerdotum  
 repetit, ut sint CVSTODES & interpre-  
 tes ac propagatores doctrine de vera Dei  
 agnitione & inuocatione: eamq; non tan-

E 3 tum



tum ipsi in corde suo abditā seruent, verū etiam labijs suis, in publico ministerio sonent & propagent: & ambigentibus animis de doctrina, vel consilium aut consolationem querentibus ex verbo Dei respondeant. Et additur ratio, *τιμίαιτε ἅμα καὶ φοβερά*, quia Angelus seu legatus DOMINI exercituum est. Quare ut legatus Dei, voluntatem & mandata sui Domini nosse, & fideliter custodire, exponere & annunciare generi humano debet: & vicissim homines, verbo & predicationi Sacerdotum et omnium doctorum fidelium, qui se intra fines instructionis & mandati diuini continent, tanquam voci ipsius Dei de cælo sonanti credere debent & obtemperare.

Hæc sunt officia Sacerdotum, non solum publico ministerio docendi, & Sacramenta administrandi in templis fungentium, sed etiam omnium Christianorum, quibus honorem & ius sacerdotij summus Sacerdos, Filius Dei, impertiuit, ut 1. Pet. 2. dicitur: Vos estis Sacerdotes sancti



sancti, ad offerendas spirituales hostias, acceptas Deo, per Iesum Christum. Cum autem vitanda ἀκαταστασία & confusio- nis causa, in Ecclesia, certis personis, legiti- mē vocatis, administratio iuris sacerdo- tij in publico cœtu commendata sit: unus- quisq; intra sue vocationis metas se con- tinere debet.

VOS AVTEM RE-  
cessistis de via, & offendistis plu-  
rimos in lege, irritum fecistis pa-  
ctum Levi

**A**Ntithesis. Vos Iudaici sacerdotes,  
& doctrinam de Deo ac cultibus di-  
ninis, veram, corrumpitis, & vite ac mo-  
rum turpitudine ministerium deforma-  
tis, & scandalis doctrine ac morum plu-  
rimos offenditis. Ideo horribiliter punie-  
mini. Osee 4. Quia tu scientiam repu-  
listi, repellam te, ne sacerdotio fungaris  
mihi: Et oblitus es legis Dei tui, obliuiscar  
filiorum tuorum & ego. Peccata populæ

E 4 meâ



mei comedunt, & iniquitate eorum delectantur.

Iere. 8, Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? Confusi sunt sapientes: Verbum enim DOMINI proiecerunt, & sapientia nulla est in eis.

## VII. LOCVS.

## DE CONIUGIO.

NVNQVVID NON PATER vnus omnium nostrum? &c.

Nec respiciam vltra ad Sacrificia vestra, Quia DOMINVS TESTIFICATVS est inter te & uxorem adolescentiæ tuæ, quam tu despexisti: & ipsa SOCIATA & VXOR FOEDERIS TVI.

CONIUGIUM est à Domino Deo instituta societas vnius maris & vnius feminae, legitima & indissolubilis, ordinata, ad procreationem sobolis, & ad vitandas



*audas libidinum confusiones: hoc sine  
 principali, ut Deo in castitate seruiamus,  
 & alios cultores Deo in his terris nostro  
 loco relinquamus. Hoc Fœdus coniugale  
 aliquot insignibus verbis hoc in loco Pro-  
 pheta describit, ac primum de causa effi-  
 ciente inquit, ut Salomon: A DOMINO  
 uxorem bonam donari. Vt enim Filius  
 Dri Dominus noster Iesus Christus, con-  
 ditor maris & fœmine ad imaginem  
 suam, in Paradiso coniugem primam  
 Adamo adiunxit. ita deinceps etiam se-  
 ria inuocatione petentibus dat Coniuges  
 bonas: & ipse adest pijs coniugibus TE-  
 STIS confirmans, quod iuxta Dei man-  
 datum, & de parentum suorum consensu  
 se ad perpetuam & indissolubilem vite  
 consuetudinem, mutuo amore sincero, &  
 omnium bonorum ac ærumnarum societa-  
 te, & fide non fallente, colendam obliga-  
 uerint.*

*Inde honestissimus mos inchoandi  
 coniugia, & ducendi sponsas ad Aram,  
 in Ecclesia patrum vsitatus, ad Ethnicos*

E S ema-



etiam emanavit, ut Aristoteles in Oeconomicis inquit κοινὸν νόμον ὑφηνεσθαι ὅτι τὴν γυναικὰ ὡσπερ ἰκέτιν καὶ ἀφ' ἐσίας ἠγμένην, ὡς ἠκιστὰ δεῖν δοκῆν ἀδικεῖν.  
 Et adhuc in nostris Ecclesijs usitatum est, sponsum & sponsam in templo & ad aram per Ministrum Filij Dei, in nomine Dei & sanctæ Trinitatis, ad indiuiduam vite consuetudinem copulari: cuius fœderis coniugalis Dominus Deus ipse, in Ecclesia sua præsens, grauisissimus testis est.

SOCIA

Deinde uxorem nominat Malachias Habereth, id est, SOCIAM seu consortem viri, iunctam & copulatam viro anima & corpore, & omnium bonorum & arumnarum communiōe. Est socia generationis, socia & adiutrix educationis liberorum, socia quotidianæ inuocationis Dei & gratiarum actionis, socia gaudiorum & curarum ac dolorum mariti omnium, socia & adiutrix rei familiaris parandæ, & tuendæ & administrandæ fidelis.  
 Ρίζατε καὶ βίοτοιο μελίφρονος ἐσθλὸν ἔρθεμα  
 συζυγίη, δίπλωρ δε γάμος καὶ ἀνακτιρ ἔθηκε,  
 ΑΛΛΗ



Αλλήλοιστε χεῖρες ἢ ὄνατα καὶ πόδες ἔσμεν.  
 Ἐνανί ἑ μελεσῶναι ἑλαφρίζουσιν ἀνίας, (σπρ.  
 ἔυναι δ' εὐφροσῶναι γλυκερώτεραι ἀμφοτέρωσι  
 κληῖς δ' ἀμφοτέροισι σαοφροσῶνοτε πόθωι τῶ  
 συζυγικῇ, καὶ σφραγίς ἀναγκάκης φιλότητος  
 συμφύεες σάρκεσιν, ὁμόφρονες, εὐσεβήσε  
 κέντρον ἔρ' ἀλλήλοισι πόθω διγόντες ὁμοίον  
 χρενί πλεοντέρη πλεον θεῶν ἀμφαγαπῶσι.  
 Et simul est radix et fulcrum nobile uitæ  
 Coniugium : præstat, si sis sine robore, uires  
 Sic sumus inter nos auresq; manusq; pedesq;  
 Mutua sic duros emollit cura labores,  
 Mutua sic gemina dulcedine gaudia crescunt.  
 Quin desiderium concesso limite claudit  
 Coniugium, castosque æternum obsignat amores,  
 Ut sunt carne simul iuncti, sic mente coherent,  
 Inter seque pijs miscent incendia flammis:  
 Et quia præsidij est rerumque hic maior egestas,  
 Fœmina uirque Deo maiori pectore fidunt.

*Vt autem uxor mariti socia et con-*  
*sors est: sic Ecclesia Christi sponsi consors,*  
*et Dei nurus, una caro et sanguis cum*  
*Christo est, et omnium beneficiorum ac*  
*bonorum Christi particeps.*

Tertio, nominat Vxorem fœderis E- V X O R  
 Schech berith, cū qua fœdus mutui amoris FOEDE-  
 sinceri RIS.



*sinceri, suavis & ardentis, & fidei coniugalis, & communionis, omnium bonorum & miseriarum, & defensionis necessaria, & condonationis offensionum tolerabilium, & reuerentia ac amoris mutui perpetuum & indissolubile, Maritus pepigit, ac ut in fœderibus Regum et populorum, iuramento etiam interposito, mutue promissiones benevolentie & auxiliij inter confœderatos sanciri & confirmari solent: ita consentaneum est, in grauiſſima illa antiquitate, à sponſo, promissionem Fidei & amoris coniugalis, non modo verbis & tradita dextera, sed etiam iureiurando, seu teste Deo inuocato, factam esse, unde fortassis apud Germanos dicitur Ehe vom Eide/ Coniugium à iuramento, & ab Ebræa voce, IAAD, que testari, & Deum testem inuocare significat, nomen accepit, sicut hic inquit Propheta, Deum inter maritum & uxorem testificari. Tam arctum et sacrosanctum Fœdus cum inter Maritum & coniugem Dominus Deus sanciuerit, quod etiam vult imaginem*



nem esse fœderis inter Christum & Eccle-  
siam: satis apparet eos, qui conjugale fœ-  
dus, vel adulterio, vel desertione coniu-  
gum, vel diuortijs petulantibus violant,  
non solum casti pudoris decus polluere,  
verum etiam impietatis erga Deum &  
periurij crimine contaminari.

Non immerito itaq; accusat Prophe-  
ta Sacerdotes, precipuè Maasiam, Elie-  
ser, Iarib, Godoliam, & ceteros, quorum  
nomina 1. Esd. 9. & 10. cap. extant: quòd  
& alienigenas seu gentium idolatra-  
rum filios uxores ducerent, & Iudai-  
cas coniuges & Iudeorum filias teme-  
re repudiarent, contra expressas prohi-  
bitiones diuinas Deut. 7. Cum intro-  
duxerit te Dominus Deus tuus in terram  
promissam, et deleuerit gentes multas co-  
ram te, Ethæum & Gergezeum, & Amor-  
reum & c. Non inibis cum eis fœdus, nec  
sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam  
non dabis filio illius, nec filiam illius ac-  
cipies filio tuo, quia seducet filium tuum,  
ne sequatur me, & ut magis seruiat Dijs  
alie.



alienis, Irasceturq; furor Domini, & de-  
lebit te cito.

Ios. 23. Quod si volueritis cum genti-  
bus his, que inter vos habitant, connubia  
miscere, & amicicias copulare, iam nunc  
scitote, quod erunt vobis in foveam et la-  
queum, & sudes in oculis vestris, donec  
vos auferet & disperdat de terra hac o-  
ptima, quam tradidi vobis.

Deinde Diuortij prohibitio in Para-  
diso promulgata est: Erunt duo in car-  
nem vnā, id est, perpetuo & indissolu-  
biliter copulati & uniti. Sic enim Chri-  
stus ipse interpretatur Matth. 19. Non  
sunt duo, sed vna caro. Quod autem Deus  
coniunxit, homo non separet. Cum enim  
Pharisei, horum sacerdotum, qui in Ma-  
lachia taxantur, posteri, tentantes Chri-  
stum, interrogarent, An liceret homini di-  
uortium facere cum uxore propter quam-  
libet causam? respondens Christus, ait:  
An non legistis, quod is, qui fecit ab ini-  
tio, masculum & feminam fecit eos?  
Et dixit: Propterea deseret homo patrem



ac matrem, & adglutinabitur uxori suæ,  
 & erunt duo in carnem unam. Itaq;  
 iam non sunt duo, sed una caro. Quod  
 ergo Deus copulavit, homo ne separet.  
 Dicunt illi: Cur ergo Moses iussit dare li-  
 bellum repudiij, ac dimittere eam? Ait  
 illis: Moses ob duriciem cordis vestri  
 permisit vobis repudiare uxores ve-  
 stras. Caterum ab initio non fuit sic. Di-  
 co autem vobis, quòd quicumq; repudia-  
 verit uxorem suam, nisi ob stuprum, &  
 aliam duxerit, is committit adulterium.  
 Et qui repudiatam duxerit, is adulte-  
 rium committit.

Ex horum testimoniorum collatio-  
 ne, & historia 1. Esd. 9. & 10. facilius  
 summa presentis Malachia concionis in-  
 telligi potest.

Cetera in lectione textus  
 explicabo.

TER-



80 TERTIVM CAPVT,  
LOCI IN TERTIO CA-  
pite præcipuè obseruandi.

I. PROPHETIA DE IOHANNE  
Baptista, & discrimen inter Baptis-  
tam & Christum.

II. DE ADVENTV ET REGNO  
ac beneficijs CHRISTI.

III. DE PVRGATIONE FILIO-  
rum Leui, seu probatione piorum, per  
verbū & sanctam crucē, qua expurga-  
tis peccatorum sordibus, puram & sin-  
ceram fidem, inuocationem, patien-  
tiam, & cetera sacrificia munda Deo  
reddunt, & velut purgati palmites  
viti Christo inserti, fructum multum  
ferunt.

IIII. DE SACRIFICIIS FILIORVM  
Leui, seu sacerdotum noui Testamēti,  
placentibus Deo p̄ Iesum Christum.

V. IVDICIUM CHRISTI REGIS AR-  
guentis per ministerium Euangely,  
& damnantis omnes impios.

VI. ADHORTATVR, VT CONFE-  
ferant facultates ad conseruationem  
ministerij



DE IOHANNE BAPTISTA. 81  
ministerij Euangelici, & promittit bona corporalia & aeterna iuuantibus ministerium.

I. LOCVS.

DE IOHANNE BAPTISTA.

ECCE EGO MITTAM  
Angelum meum, & repurgabit viam  
ante faciem meam.

**L**uculentus & fide dignissimus  
presentis Malachia concionis inter-  
pres est ipse Filius Dei, doctor & redem-  
ptor noster Iesus Christus, qui Matth. 11.  
Luc. 7. Iohannem Baptistam auditoribus  
commendans, Hunc esse inquit excellen-  
torem Propheta, de quo scriptum sit: Ec-  
ce ego mitto angelum seu nuncium meum  
ante faciem tuam, qui preparabit viam  
tuam ante te. Amen dico vobis, non ex-  
ortus fuit inter eos, qui nascuntur è mu-  
lieribus, maior Iohanne Baptista: Atta-  
men is, qui minor est in regno caelorum,  
maior illo est. **F** Fuit



Fuit enim Iohannes Baptista non  
vulgaris Propheta docens in populo Is-  
rael legem Mosaicam, & predicens de  
CHRISTO venturo, & regens aliqua con-  
silia politica: sed eximius, & ceteris om-  
nibus antecellens Angelus seu Doctor  
& instaurator Ecclesie à Deo missus, ut  
veram de Deo & Domino nostro Iesu  
Christo doctrinam & veros Dei cultus,  
Phariseorum erroribus obscuratos re-  
purgaret, et ministerium noui Testamen-  
ti, & nouam Ecclesiam, gentibus etiam  
receptis, per predicationem Euangelij &  
Baptismum inchoaret, & CHRISTVM  
presentem ac exhibitum Ecclesie sui tem-  
poris coràm ostenderet: & per ministe-  
rium suum corda hominum prepararet,  
ut Christum venientem fide reciperent  
& amplecterentur. Vt enim Principibus,  
urbem aut templa ingressuris, praeuntes  
satellites viam aperiunt, & remotis im-  
pedimentis obstantibus, viam planam &  
expeditam efficiunt: ita CHRISTO, cum  
omnibus beneficijs suis, ad nos venienti,  
& in



& in cordibus nostris habitatio, prepara-  
 randa & repurganda est via per mini-  
 sterium Euangelij, & remouenda ex cor-  
 de securitas, hypocrisis, fiducia operum,  
 & similes remora, vt Christo aditus in  
 corda pateat, & in ijs efficax sit. Hac via  
 CHRISTI preparatio, etsi omnium pio-  
 rum ministrorum commune officium est:  
 tamen Iohanni προαγγέλω καὶ προδρόμω  
 CHRISTI, presentem Christum digito  
 monstranti, & nouum Testamentum abo-  
 lita lege Moisi, inchoanti, potissimum  
 congruit. Itaq; nullius Prophete officium  
 maius & prestantius fuit ministerio Iohannis Baptista. Sed tamen, qui minimus  
 est in regno caelorum, hoc est, Christus,  
 qui infra omnes angelos & homines hu-  
 miliatus est, maior est Iohanne: primum,  
 persona, quae est diuina. Deinde officio,  
 quia non tantum doctor & minister Ec-  
 clesiae, sed fons doctrine Euangelij & re-  
 demptor ac saluator est, ex cuius plenitu-  
 dine gratiam & salutem accepimus. Ter-  
 tio potentia & efficacia, qua ipse per mi-  
 niste-



nisterium Iohannis & ceterorum, in cordibus audientium fidem & iusticiam ac vitam efficit. Quarto, quia est ὁ ἄμαρτος, omnis peccati & labis expers.

Respicit ad hanc Malachiae concionem, eamque interpretatur Zacharias etiam, Iohannis pater, de officio Iohannis canens: Et tu puer, Propheta altissimi vocaberis. Praeibis enim ante faciem Domini, ad parandum vias eius, ad dandam scientiam salutis populo ipsius, per remissionem peccatorum eius, per viscera misericordiae Dei nostri, quibus visitavit nos oriens ex alto, ut illucesceret his qui in tenebris & umbra mortis sedebant, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

## II. LOCVS.

DE ADVENTV CHRISTI.

ET STATIM VENIET ad templum suum Dominus, quem vos quaeritis, & Angelus Testamenti, quem vos desideratis:  
Ecce



Ecce venit, dicit **DOMINVS** Sex-  
ercituum.

**S**exto mense post Iohannem Baptistam,  
Anno mundi 3960. mense Septembri  
conceptum, Filius Dei Dominus noster  
Iesus Christus, in suum templum venit,  
assumens ex virgine Maria humanam  
naturam, in qua, aeterno. & indissolubili  
fœdere sibi unita, velut in proprio tem-  
plo habitans, nos à peccato & aeterna  
morte liberaret. Statim etiam post in-  
choatum à Iohanne Baptista ministe-  
riũ noui Testamenti, Anno mundi 3992.  
anno aetatis suae tricesimo, veniens ad Ba-  
ptismum, monstratur à Iohanne Baptista  
Ecclesie illius temporis non solum digito,  
verum etiam addita hac voce, quae offi-  
cium & beneficia Christi precipua indi-  
cat, & omnia veteris Testamenti sacrifi-  
cia interpretatur: Ecce agnus Dei, qui  
tollit peccatum mundi. ac statim post  
Baptismum preparatus mirandis tenta-  
tionibus, docere in suo templo seu Eccle-  
sia incipit.





Duo autem Epitheta hoc in loco Prophetæ Christo tribuit. I. quòd sit Dominus, Adoni, Sustentator & Rex Ecclesie, ab AEden, Basis, fulcrum, quo aliquid sustentatur, ut apud Græcos Βασίλειος, quasi Βάσις λαοῦ. Basin enim seu fundamentum Ecclesie aliud ponere nemo potest, præter id quod positum est, qui est Iesus Christus. Hic constituit, redemit, regit, liberat Ecclesiam à peccato & à morte, defendit eam aduersus Diabolos & tyrannos, & tandem resuscitatam ex morte ornabit vita & gloria æterna: Qui Rex tribui Iuda Gene. 49. & Dauidi 2. Reg. 7. & 2. Paral. 17. promissus erat.

Deinde, quòd sit Angelus Testamenti, hoc est, Doctor, seu predicator, voce sua generi humano annuncians nouum Testamentum, seu Euangelion de gratia Dei, de remissione peccatorum, de reconciliatione cum Deo & salute æterna: quam sua intercessione & sanguine ac morte generi humano ipse promeruit.

EST



Est enim Testamentum nouum proprijs-  
simè aliud nihil, quàm Euangelium seu  
promissio remissionis peccatorum & Spi-  
ritus sancti, vere iusticie, & vitæ ac sa-  
lutis æternæ gratis propter Filium Deû  
Dominum nostrum Iesum Christum, pro  
nobis mortuum & resuscitatum, donan-  
da.

Vetus Testamentum fuit promulga-  
tio legis Mosaicæ, & promissio terræ Ca-  
naan, facta populo Israel hac conditione,  
si legem à Deo per Moysen traditam ser-  
uarent. Huius Testamenti Angelus fuit  
Moses: ut Iohan. 1. dicitur, Lex per Mo-  
sen data est, Gratia & veritas per Ie-  
sum Christum facta est. Deum nemo vi-  
dit vnquam, Filius, qui est in sinu Pa-  
tris, ipse enarrauit nouum Testamentum  
de gratia & veritate, hoc est, gratuita  
remissione peccatorum, & veris ac æter-  
nis bonis per Christum donandis.

III. LOCVS.

DE OFFICIO CHRISTI

purgantis peccata filiorum Leui.

F 4 Ipse



IPSE ENIM QVASI  
 ignis excoquens: & sedebit exco-  
 quens & emundans argentum, &  
 purgabit filios Leui, & colabit eos  
 quasi aurum &c.

**P**roprium Filij Dei Domini nostri Ie-  
 su Christi beneficium est Purgatio seu  
 liberatio à peccato, de qua 1. Iohan. 1. di-  
 citur: Sanguis Iesu Christi Filij Dei pur-  
 gat nos ab omni peccato: Si dixerimus,  
 quòd peccatum non habemus, nos ipsos se-  
 ducimus, & veritas non est in nobis. Si  
 autem confessi fuerimus peccata nostra,  
 fidelis est & iustus, ut remittat nobis  
 peccata, & purgat nos ab omni iniquita-  
 te. Herent enim adhuc in filijs Leui seu  
 omnibus pijs & renatis in hac vita mul-  
 te sordes peccatorum, multiplex igno-  
 rantia & dubitationes, multa viciosa  
 inclinationes ad securitatem carnalem,  
 admirationem sui, superbiam, diffiden-  
 tiam, amorem rerum carnalium, aut re-  
 rum terrenarum maiorem quàm ipsius  
 Dei,



Dei, magna imbecillitas fidei, dilectionis  
 & timoris Dei, non ardent corda fide &  
 dilectione Dei, ut debebant, non agnoscunt  
 nec deplorent sua peccata, quantum de-  
 bebant, franguntur animis, & fremunt  
 in cruce & aerumnis, accenduntur sepe  
 flammis viciosorum affectuum, iracun-  
 dia, odiorum, emulationis, gloriae, cupidi-  
 tatis vindictae, nec reprimunt ac com-  
 pescent eas, sicut debebant & pote-  
 rant &c. Hanc tetram immundiciem &  
 sordes mentium & cordium humanorum  
 Filius Dei excoquit & expurgat igne sui  
 verbi (de quo Iere. 23. dicitur: Nonne  
 verba mea sunt quasi ignis?) & sanctae  
 CRUCIS, de qua 1. Pet. 1. inquit: Pau-  
 lulum adhuc, si opus est, contristati va-  
 riijs tentationibus, ut probata fides vestra  
 multo preciosior auro per ignem probato  
 inueniatur in laudem & gloriam Dei.  
 Ut igitur Fides nostra seu vera agnitio  
 Christi, & fiducia in Deo nobis propter  
 Christum propicio acquiescens, ut inuoca-  
 tio vera, ut Timor Dei, ac humilitas  
 F s Christia-



Christiana, ut amor & studium doctrinae à Deo traditæ, ut patientia & omnes cætere virtutes Deo placentes, non situ & squalore, aut scorijis securitatis, diffidentia, superbia, voluptatum & c. pollutæ extinguantur, sed purgentur, expoliantur, crescant, & ardentiores, puriores ac mundiores reddantur: Filius Dei purgator, suo verbo & cruce salutari, palmites sibi viti insertos, ut Paulum, tristissimis afflictionibus toto cursus sui tempore obiectum, 2. Corinth. 11. Ezechiam & Esaiam obsessum à Sennaherib Esa. 36. & 37. Iosephum in carcere, Gen. 39. Ieremiam, Danielelem, & nos singulos, varijs difficultatibus, periculis & arumnis exercitatos, purgat & excoquit ac mundat, ut pura sacrificia iusticie Deo offeramus, sicut dicitur Esa. 27. Hæc est utilitas afflictionis, ut auferatur peccatum eius, seu, ut per crucem mortificentur reliquie peccati. 1. Pet. 4. Qui patitur in carne, is desinit peccare, ut deinceps non iuxta concupiscentias humanas, sed  
iuxta



*iuxta voluntatem Dei reliquum in carne tempus uiuat. Thren. 3. Afflixit nos, ut leuemus corda nostra cum manibus in cœlum. Psal. 119. Bonum est mihi Domine, quod afflixisti me &c. 1. Pet. 2. Deponentes igitur omnem maliciam, & omnem dolum, & inuidiam, & omnem hypocrisin, & inuidiam, & omnes obre-ctationes, quasi modo geniti infantes, rationale & sincerum lac concupiscite, ut in eo crescatis: siquidem gustastis, quod bonus est Dominus, ad quem accedentes lapidem uiuentem, ab hominibus reprobatum, à Deo autem electum, preciosum, & ipsi ut uiui lapides edificemini templum Spiritus sancti, & sacerdotes sancti ad offerendas spirituales hostias acceptas Deo per Iesum Christum.*

## IIII. LOCVS.

## DE SACRIFICIIS

## filiorum Leui.

**D**E his sacrificijs filiorum Leui, seu sacerdotum noui Testamenti, de quibus nunc quarto loco dicendum erat, paulo  
antè



antè in primo capite prolixè explicauimus. Hic obseruemus, placere Deo sacrificia, non ex opere operato, sed in persona per Filium Dei fide purgata, sicut olim ab initio mundi & annis antiquis, etiam ante legem Mosaicam, sacrificia patrum fide Deo placuerunt, vt scriptum est: Fide Abel maiorem hostiam obtulit Deo, quàm Cain, per quam testimonio diuino pronunciatus est iustus, testificante de donarijs ipsius Deo.

## V. LOCVS.

DE IUDICIO CHRISTI.

ET ACCEDAM AD

Vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, adulteris, periuris, calumniantibus mercedem mercenarij, viduæ & pupilli &c.

Hactenus de officio Christi, annunciantis Euangelion, per quod à peccatis mundamur, & purgantis sancta Cruce fecundos palmires seu membra  
vere



vere Ecclesie, fructus Deo gratos & alij  
 salutare ferentia. Nunc de iudicio  
 Christi aduersus impios & sceleratos  
 concionatur: quos per ministerium ver-  
 bi sui iudicat, hoc est, accusat et damnat,  
 & ex regno suo excōmunicat, ut Ioh. 16.  
 inquit: Spiritus sanctus arguet mun-  
 dum de peccato. Item 1. Corinth. 6. Ne  
 erretis: Nec scortatores, nec idolatre, nec  
 adulteri, nec molles, nec Sodomite, nec  
 ebriosi, nec maledici, nec raptores re-  
 gnum Dei hereditabunt. Ita hoc in loco  
 Propheta inquit, Christum iudicem &  
 testem velocem seu predicatorum acrem  
 fore, acriter taxantem & damnantem  
 peccata aduersus primam & secundam  
 Decalogi tabulam pugnancia. 1. Male-  
 ficos, Mecasphim, id est, prestigiatores,  
 qui prestigijs sophismatum veram de  
 Deo doctrinam deprauant, & impia  
 dogmata ac cultus idolatricos pingunt &  
 tuentur: & homines falsis de Deo &  
 cultibus diuinis & eterna salute nostra  
 opinionibus fascinosos seducunt & per-  
 dunt.



dunt. DEinde Adulteros, qui deserta fi-  
 de & amore, ac cultibus, uni marito vero  
 Deo debitis, Idola colunt, & alienam do-  
 ctrinam ac cultos humano arbitrio ele-  
 ctos & pugnantes cum verbo Dei se-  
 quuntur. TERTIO, Periuros, qui fidem Deo  
 debitam, vel falsa doctrina, vel morum  
 sceleribus, vel non seruandis promissis  
 & pactis, Deo teste citato confirmatis,  
 violant. QUARTO, Iniusticiam, calu-  
 mniöse pretextu Iuris vel manifesta vio-  
 lentia ledentem alios, & precipuè mer-  
 cenarios, viduas, pupillos & peregrinos.  
 QUINTO, accusat securitatem non timeren-  
 tem iram & iudicium iusticie Dei eter-  
 ne & inmote aduersus peccata, & nul-  
 lum finem peccandi facientem. SEXTO,  
 Hypocrisin cecam, non agnoscentem  
 suam impietatem, & se tanquam iustam  
 & mundam excusare volentem. SEPTI-  
 mo, Sacrilegia seu furta bonorum Eccle-  
 siasticorum, quæ Deo & conseruationi  
 ministerij diuini dicata & debita, vel  
 non soluuntur à Principibus, nobilibus,  
 ciuibus



ciuibus & rusticis vel sceleratè rapiuntur.

Hæc peccata Christo Iudici displicere, & voce ministerij publici acriter taxanda esse, & maledictione diuina puniri, Propheta inquit.

### VI. LOCVS.

DE CONTRIBVTIONE  
ad ministerij Euangelici conseruationem.

INFERANT OMNEM  
decimam in domum horrei, & sit  
cibus in domo mea, & probate me  
in hoc, dicit **DOMINVS** exerci-  
tuum.

**S**ummum & inenarrabile Dei benefi-  
cium est, quòd ex genere humano eter-  
nam sibi Ecclesiam colligit per ministe-  
rium Euangelij, per quod veram sui ag-  
nitionem, remissionem peccatorum, iu-  
sticiam & vitam æternam hominibus  
imperit. Itaq; omnes homines iure diui-



no aliquam suarum facultatum partem  
 ad ministerij publici conseruationem &  
 alendos sacerdotes ac ministros docentes  
 conferre debent. Quare & Moyses non  
 tantum didpaxuon & sacrificia pecudum,  
 ac cibaria & primitias ac primogenita,  
 verum etiam decimas omnium frugum  
 & fructuum sacerdotib. & Leuitis pendi  
 iussit, sicut exemplo à Iudeis sumpto,  
 Ethnici etiam decimas publicis sacris  
 destinarunt, ut Pisistratus ad Solonem  
 scribens, ait, Atheniensium singulos,  
 frugum suarum decimas separare, non  
 in usus Pisistrati consumendas, sed sa-  
 crificijs publicis commodisq; communibus  
 deputandas.

Fuerunt autem lege Mosaica tripli-  
 ces decimæ ordinate: primùm generales,  
 quæ singulis annis dabantur Leuitis, Le-  
 uit. 27. Deinde, Leuite suarum decima-  
 rum decimas sacerdotibus quotannis tri-  
 buebāt, Num. 18. Postea tertio quoq; anno  
 peculiare decimæ pro pauperibus Leui-  
 tis colligebantur: quarum Deut. 4. &  
 Tob. 1.



Tob. 1. mentio fit. Has decimas Deus fideliter pendi vult templo: & vicissim ubertatem frugum, & benedictionem corporalem & eternam, liberaliter iuuantibus ministerium promittit.

CAPVT IIII.

LOCI PRÆCIPVI  
huius Capitis.

I. Refutatio blasphemæ obiectionis impiorum, qua & prouidentiam Dei, & omne studium pietatis erga Deum & obediendi seu seruiendi Deo tollere & delere nituntur:

Frustrà colitur Deus, si non tribuit pijs & obedientibus debita premia, impijs verò & sceleratis meritas pœnas. Vel:

Si est Deus, & si est prouidentia, bonis & pijs debet benè esse: malis male.

Sed nunc impij florent, & superbe contemnentes Deum edificantur, hoc est, successus felices habent, & crescunt opibus, potentia, gloria. Pijs autem timen-



tes Deum, & custodientes precepta Dei,  
premuntur varijs ac multiplicibus argu-  
mentis.

Ergo vanum est seruire Deo, cum  
nulla sit prouidentia Dei discernens inter  
pios & impios.

Est autem hæc, non paucorum solum-  
modo Epicuri de grege Philosophorum,  
sed communis humane rationis & o-  
mnium sapientum cogitatio, qua pijs  
etiam & sancti sæpe non leuiter excru-  
ciantur, ut ostendunt querele Psalmo-  
rum: Noli emulari. & : Quàm bonus  
Israel Deus? Ierem. cap. 12. Quare via  
impiorum prosperatur? benè est omni-  
bus, qui præuaricantur. & congruit vsti-  
tata sententia :

εἰδ' ἐστὶ θεός, δίκαιός ὡς ἄνθρωπος οὕτως  
| ἐσθλῶν κυρήσεις: εἶδε μὴ, τί δ' ἔστι πονηρῶς.

Respondent igitur pijs timentes Deum  
ad huius Syllogismi maiorem: Si est  
Deus, & si est prouidentia, pijs debet be-  
nè esse, & impijs malè: scilicet eo ordine  
& modo, quem sapientia & iusticia Dei  
in verbo à se tradito expressit: ut vide-  
licet



licet præcipua præmia piorum, & præcipue pœne impiorum differantur in æternam vitam. Vt enim illustrior sit iusticia Dei, & illustrius discrimen inter iustos et impios, inter seruientes Deo, & non seruientes ei: præmia & pœne discernentes pios & impios, non sunt res momentaneæ & caducæ, sed perpetuæ & durabiles.

Deinde ad Minorem: Impij in hac vita florent, scilicet breui momento tolluntur in altum, ut lapsu grauiori ruant, atq; etiam in his terris de prouidentia Dei punientis sceleratos, testimonium dicant.

Et certò sequetur dies iudicij, in quo Christus hædos ab ouibus segregabit, & impios maledictos in ignem æternum, qui Diabolo & angelis eius paratus est, abijciet: pjs verò timentibus Deum, etsi propter duodecim causas, que in doctrina de patientia in cruce recitantur (ex quibus hæc una est, quòd in ipsis quoq; peccata adhuc hærent, que Deus agnosci, &

G 2

CRUCE





cruce purgari vult) varijs afflictionibus exercentur: tamen oritur SOL iusticie, Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, qui eos in tenebris ærumnarum & mortis sedentes, luce sua & consolatione & leticia erigit ac sustentat, & velut gallina pullos sub alis suis fouet & protegit, & tandem à morte & omnibus malis liberatos æterna leticia & vita complebit.

Cùm autem pijs & iusti in hac vita propter peccatum in ipsis reliquum castigentur: quanto magis impij & scelerati, etiamsi aliquantisper florent, à Deo punientur.

## II.

Et orietur vobis timentibus Nomen meum SOL IVSTICIÆ, & sanitas sub pennis eius &c.

DE SOLE IVSTICIÆ FILIO DEI  
 Domino nostro IESV Christo, qui ipse se (Ioh. 8) Solem seu Lucem mundi nominat.





nominat. Ut enim sol lucem toti mundo prebet, & tenebras dispellit, & calorem ac vim viuificam cunctis rebus, terra nascentibus, & animantibus omnibus tribuit: Ita Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, autor & donator est verae lucis, & vitae, seu verae agnitionis Dei, vere iusticiae & vitae aeternae: & est lux vera, quae per Euangelion in hominibus tetra caligine ignorationis Dei & tenebris peccati ac mortis oppressis, accendit lucem verae & clarae cognitionis Dei, veram consolationem, iusticiam, vitam & leticiam aeternam: quae bona ex solius Christi plenitudine seu fonte lucis Iusticiae ac Vitae plenissimo haurimus. nec ullis nostris vel aliorum sanctorum operibus aut virtutibus consequimur.

Ac ut Luna & omnes Stelle & animantia, lucem ac vitam à Sole accipiunt, ita nos lucem verae noticiae Dei, & vitam ac salutem aeternam à solo Filio Dei accipimus: ut Iohan. 1. dicitur: Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem

G 3 venien-



• *venientem in hunc mundum, & ex plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.*

*Esa. 60. Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, quia ecce tenebrae operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.*

*Esa. 49. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terre.*

*Luc 1. Dabis scientiam salutis plebi eius, quae consistit in remissione peccatorum eius. Per viscera misericordiae Dei nostri, quibus visitavit nos oriens ex alto. Et illuminabit eos, qui in tenebris & in umbra mortis sedent, Diriget pedes eorum in viam pacis.*

*Psal. 19. Soli posuit tabernaculum in eis, id est, Christo fonti lucis & vitae aeternae &c. posuit tentorium in ministerio Ecclesiae, ut soli in caelo. Ideoq; Matth. 5. Apostoli etiam & omnes fideles ministri Ecclesiae nominantur Lux mundi, quia doctores*



doctores sunt & propagatores & testes doctrine Euangelij, per quam Deus lucem vere agnitionis sui & veram iustitiam ac salutem in mentibus audientium accendit. Christus verò Lux mundi est, Primùm, Quia fons est doctrine Euangelij illustrantis mundum vera agnitione Dei, quod ipse ex arcano sinu Patris initio protulit. Deinde, Quia ex plenissimo thesauro meritorum Christi gratiam & veritatem, seu veram iustitiam & salutem aeternam solummodo accipimus. Postremo, Quia ipse diuina potentia per Euangelium à Ministris predicatum efficax est, & homines à peccato & morte liberat, & iusticia ac vita aeterna donat. Ex horum testimoniorum collatione, perspicua interpretatio sumi potest presentis Malachiae concionis, in qua Christus Sol iusticiae nominatur.

Additur autem: Et sanitas in pennis eius. id est, Christus Sol iusticiae radijs suae lucis viuifica, veram sanitatē & salutem nostris animabus & corpori-



bus afferet: quæ in hac vita inchoatur  
 & in futura perficietur: ubi verè erit  
 mens sana in corpore sano. Vel intelli-  
 gatur simpliciter, ut dictum Christi: Quo-  
 ties volui vos congregare & fouere, ut  
 Gallina pullos suos sub alis suis. Et  
 Psal. 91. Scapulis suis obumbrabit tibi, &  
 sub pennis eius sperabis. Quare sub Chri-  
 sti alas fide confugiamus, si foueri &  
 protegi, & aduersus Diaboli tyranni-  
 dem defendi cupimus. Ab hoc Sole iu-  
 sticie illustrati & sanati, egrediemur, &  
 lucis nostre radios coram alijs hominibus  
 spargemus, predicabimus & confitebi-  
 mur doctrinam Christi, & alios homines  
 ad veram agnitionem Christi & ater-  
 nam salutem inuitabimus, & saliemus  
 sicut vituli, in pascuis Christi Pastoris sa-  
 ginari, hoc est, leti et alacres inuocabimus  
 Deum, gratias agemus, nostre vocationis  
 officia & labores obibimus, obediemus  
 Deo in afflictionib. & ærumnis, & vera  
 ac Deo placentia sacrificia offeremus, vi-  
 tulos labiorum nostrorum confitentium  
 Nomi-



Nomini eius. sicut hac ipsa Metaphora  
 salendi crebrò vtuntur Psalmi: Exultate  
 iusti in Domino: Item, Maria virgo: Ex-  
 ultauit spiritus meus in Deo salutarì  
 meo. Postremò, omnes hostes nostros, pec-  
 catum, mortem, diabolum, tyrannos,  
 praeunte Duce & Imperatore Filio Dei,  
 calcabimus pedibus nostris, vt in prima  
 promissione dictum est: Semen Mulieris  
 conculcabit caput Serpentis. Et Rom. 16.  
 Dominus conteret Satanam sub pedibus  
 vestris. Et 1. Corinth. 15. Oportet eum re-  
 gnare, donec ponet omnes scabel-  
 lum pedum suorum, nouissimus hostis abo-  
 lebitur Mors.

Cùm autem de hoc ipso Christi re-  
 gno Moses etiã docuerit, iubet Malachias  
 diligenter & attente audire Mosen, &  
 credere promissionibus de Semine, quas  
 libris suis inseruit, & parere praeceptis &  
 iudicijs, quae populo Israel tradidit, vt  
 Christus etiam hortatur Iohan. 5, Scruta-  
 mini scripturas. si Mosi crederetis, & mi-



hi crederetis. De me enim scripsit ille. Et  
 Luc. 16. Habent Moſen & Prophetas:  
 illos audiant. Matth. 11. Omnes Prophe-  
 ta & Lex uſq; ad Iohannem propheta-  
 uerunt, id eſt, quod Moſes & Propheta  
 de Chriſto prädixerunt, id completum eſſe  
 & indies compleri, Iohannes Baptiſta  
 prädicat: Et ſi uultis recipere, ipſe eſt  
 Elias ille, qui uenturus eſt: Qui habet  
 aures audiendi, audiat.

## III.

DE ADVENTU ET OF-  
 ficio Iohannis Baptiſtae.

SEquitur itaq; iam in Propheta Mala-  
 chia ultimus locus, & uelut conclusio  
 totius ueteris Teſtamenti: Ecce ego  
 mittam uobis Heliam Propbetam,  
 id eſt, doctorem, omnibus Spiritus ſancti  
 donis excellentem, & in primis ardenti  
 zelo ſpiritus, ſimilem Heliae, Iohannem  
 Baptiſtam. Ita enim hoc uaticinium  
 Malachiae Chriſtus ipſe interpretatur  
 Matth. 11. 17. Marc. 9. Luc. 9. Et An-  
 gelus



gelus Gabriel Luc. 1. Iohannes precedet coram eo (Christo) in spiritu & virtute Heliae, ut conuertat corda patrum ad filios, & inobedientes in prudentia iustorum, ut paret Domino populum preparatum.

Est autem DIES DOMINI, totum tempus regni Christi in his terris predicantis, & passione ac morte, & Apostolorum ministerio Ecclesiam sibi colligentis, usque ad Extremum iudicium. Hic Dies Christi MAGNVS & salutaris erit omnibus ad Deum conuersis & in Christum credentibus, quibus magna & immensa beneficia, quae ipsa rerum creatione maiora sunt, videlicet liberationem à peccato & morte, & donationem iusticiae ac salutis aeternae conferet, et omnem diabolorum ac tyrannorum potentiam vincet et delebit. Horribilis verò erit omnibus impijs, quos anathemate irae diuina feriet, & in aeternas poenas abijciet.

Precedet igitur Iohannes Baptista  
 uelut ἡλίου πρόδρομος καὶ προάγγελος,  
 ante



ante Dominum Deum suum Iesum Christum, quem iuxta promissiones patribus datas, exhibitum digito coram monstrabit. Cumq; ad instauracionem vere de Deo doctrinae, & verorum cultuum Dei, & taxandos gubernatorum Ecclesiae Iudaicae errores & idola, ut Helias ad suae aetatis idola taxanda, diuinitus excitatus sit: simili etiam spiritu & uehementia seu ardore & zelo propugnande Dei gloriae, et abolendorum cultuum idolatricorum à Deo ornabitur. Nec tantum errores suae aetatis ingenti spiritu refutabit: sed etiam conuertet sua predicatione corporum ad filios, & filiorum ad patres, ut uidelicet patres & filij una fide Dominum Deum & redemptorem nostrum Iesum Christum agnoscant, inuocent, celebrent: sint unum, doceant unum, fateantur & unum: sicut Act. 15. dicitur: Credimus nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluari, ut patres nostri saluati sunt. Et Ephe. 4. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater



& Pater omnium. Et paulò post inquit, Filium Dei dedisse Apostolos, Prophetas, Euangelistas & doctores, in opus ministerij & adificationem Ecclesie, quæ est corpus Christi, donec perueniamus omnes ad unam fidem seu agnitionem Filij Dei &c. inq; Deo sit Mens una, sit unus Amor.

Explicat autem Angelus modum conuersionis: Conuertet inobedientes in prudentia iustorum, ut parct Domino populum præparatum, id est, homines ignaros Dei, & inobedientes Deo, erudiet & flectet ad veram prudentiam, agnitionem Dei, & Christi Solis iusticia, ut intelligant, quæ sit vera iusticia, qua Deo accepti & grati sint: & per ministerium Euangelij præparati, Christum Solem iusticia fide recipiant, & Deo iuxta Euangelion obediunt.

Totum verò hoc ministerium Iohannis & Apostolorum Christi, ad hunc finem directum erit: ne terra percutiatur anathemate, hoc est, ne totum genus humanum



humanum in perpetuum exitium abij-  
 ciantur, sed ut aliqua inde aeterna Eccle-  
 sia excerpatur, quae Christi beneficio ha-  
 res sit sapientiae, lucis, iusticiae, vite &  
 gloria aeterna. Sicut etiam Iohan 3. con-  
 siones suas Baptista concludit: Qui cre-  
 dit in Filium, habet vitam aeternam. qui  
 non credit Filio, non videbit vitam, sed  
 ira Dei manet super eum. Ac ut terra  
 Palestina, propter contemptum & perse-  
 cutionem Euangelij Christi anathemate  
 percussa, & politia funditus deleta est:  
 sic omnia regna & ciuitates, predicatio-  
 ni Iohannis & Apostolorum non obtem-  
 perantes, horribiliter puniuntur.

Agnoscamus autem misericordiam  
 Dei immensam, quod instauratores do-  
 ctrinae Euangelij, Eliam, Baptistam & si-  
 miles excitauit: & doctrinam ab eis  
 traditam reuerenter amplectamur. Et  
 haec nouissima mundi tempora, Eliae &  
 Baptista temporibus similia fore cogite-  
 mus. Ut enim Helia predicante, impij re-  
 ges & sacerdotes Baal rignabant, & pij  
 Prophetae



Propheta pellebantur. & Iohannis tempore Pharisei & Sadducei unà cum Herode & Romanis pios persequiebantur, ita eadem fiunt hac postrema mundi etate. Quare his exemplis sanctorum nos consolemur, & Deum nobis in his ærumnis adesse, & reliquias Ecclesie & doctrinam Euangelij seruaturum esse, non dubitemus.

Quòd autem ex hoc Malachie loco, & concionibus Apocalypsis cap. 10. Oportet te Iohannem iterum prophetare in terris, & linguis, & populis. & cap. 11. Dabo dnobus testibus meis, & propheta-bunt dies 1260: ratiocinantur aliqui, Heliam Prophetam unà cum Iohanne Euangelista & Enocho Patriarcha, corporaliter ante extremum diem in terras redituros, et Antichristum oppugnaturus esse: id ex allegatis Scripturæ locis effici nullo modo potest. Nam Malachie vaticinium de Helie Prophete aduentus Christus ipse Matth. 11. & Angelus Gabriel Luc. 1. de Iohanne Baptista interpret-



interpretantur, ut iam exposuimus: & Apocalypsis 10, non tam Iohannis personam, quam doctrinam ab ipso & ceteris Apostolis traditam, postremis temporibus iterum in mundo illustratum, & late in multis gentibus propagatum iri ostendit: & duo testes seu predicatores Apocalyp. 11. omnium temporum doctores & ministros Euangelij fideles significant, qui ex duobus Testamentis, seu Prophetarum & Apostolorum scriptis, veram de Deo doctrinam fideliter docebunt, & late spargent, & Antichristi errores constanter refutabunt.

Syracide etiam locus de Enocho in Paradisum translato, ut det sapientiam gentibus, nihil aliud demonstrat, quam omnes gentes, Enoch translatione, de immortalitate & vita animarum & corporum nostrorum aeterna doceri, in qua omnes pii ab omni peccato & miseria penitus liberati, & Ecclesiae caelestis familiaritate fruente, coram Deum Patrem aeternum, & Filium ipsius, Domini

NUM



nostrum Iesum Christum, & Spiritum  
 sanctum, illustri & clara luce, sine vlla  
 caligine agnoscent & videbunt, & con-  
 silia creationis & redemptionis, & cau-  
 sas mirabilium operum diuinorum pau-  
 latim altius intropicient, & noua ac di-  
 uina luce, sapientia, iusticia & vita ab  
 ipso Deo, qui in ipsis habitabit, & o-  
 mnia in omnibus erit, complebuntur:  
 & expertes omnium calamitatum, mor-  
 borum, peccati, mortis, & liberi ab omni  
 mœsticia & dolore, lati viuent, & per-  
 petuo ac ineffabili gaudio Deum Pa-  
 trem unâ cum Filio ipsius Redem-  
 ptore nostro Iesu Christo, & Spi-  
 ritu sancto, in omni eterni-  
 tate celebrabunt.

CAPVT PRI-  
 MVM.



Q NVS verbi DOMI-  
 NI ad Israel, in B manu  
 Malachia.

H

Dilexi

α  
 Propheta,  
 accusans  
 ingrati-  
 tudinem, &  
 denuncians  
 onus seu  
 poenas po-  
 pulo Israh.

β  
 Ministerio,  
 uel simpli-  
 citer, per  
 Malachiã.



Y PROPOSITIO.

Israclitæ DEVM  
amantem & summis  
beneficijs eos ornan-  
tem, ingrati & securi  
negligunt, & contu-  
melijs adficiunt, Ideo  
punientur.

¶ Qua re ostendis,  
quòd nos diligas?

¶ Gene. 25.

Esau operarius.

Iacob supplantator:

¶ Populum Israel, qui  
est Iacobi posteri-

tas, defendi & serua-

ui. Esau autem po-

steritatem funditus

deleui. Rom. 9. Pau-

lus ad Prædestinatio-

nem accommodat.

¶ Idumæam, que

pars est Arabiæ pe-

træ, inter Iudæam & mare rubrum interiectæ, funditus

per Nabugdonosor vastauit, sicut Iere. 49. Abdiæ 1. & alibi

prædictum erat.

¶ Posterius. ¶ Regionem eorum nominabunt regionem,

in qua impij habitauerunt.

¶ Dilexi vos, dicit DO-

MINVS, & dixistis, & in

quo dilexisti nos? Nonne fra-

ter (erat) Esau Iacob, dicit

DOMINVS, & dilexi

¶ Iacob, Esau autem odio ha-

bui, & posui<sup>n</sup> montes eius in

solitudinem, & hæredita-

tem eius Draconibus deserti.

Si dixerit Edom, extermi-

nati sumus, sed reuertemur,

& ædificabimus desolata:

sic dicit DOMINVS ex-

ercituum, ipsi ædificabunt,

& ego destruam, & voca-

bunt eos Terminum (seu

cam-

per Nabugdonosor vastauit, sicut Iere. 49. Abdiæ 1. & alibi

prædictum erat.

¶ Posterius. ¶ Regionem eorum nominabunt regionem,

in qua impij habitauerunt.



campum) impietatis, & populum, cui iratus est DOMINUS in aeternum. Et oculi vestri videbunt, & vos dicetis: Magnificetur DOMINUS super terminum Israel.

Gratie agantur Deo, seu celebretur hoc magnum beneficium Dei, quod terram Israelitarum protexit & seruauit.

Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum.

A correlatiuis.

Quod si pater ego sum, ubi est honor mei? & si Dominus sum, ubi est timor mei? dicit

DOMINUS exercituum ad vos, o Sacerdotes, despicientes nomen meum. & dixistis: in quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? in eo quod dicitis:

Doctrinam de me ueram negligitis, falsam docetis, cultus Dei, questus & auaricia causa deprauatis. Ita Deus contumelia afficitur, & nomen Dei blasphematur inter Gentes. Rom. 2.

H 2 Mens. p. Levit. 24.



v Quia mensam Do-  
 mini despectam habe-  
 tis, eò, quòd quæstus  
 causa docetis, Quæ-  
 cunq; sacrificia mun-  
 da esse, et nihil refer-  
 re, quælecunq; offera-  
 tur, tantum ut offera-  
 tur. § Levit. 22.  
 A Minori,  
 o Vestri Questores et  
 Nobiles non recipere-  
 rent à uobis eiusmodi  
 pecudes. Et uos Do-  
 mino Deo eas offerre  
 audetis. Quod si  
 banc fraudem in cere-  
 monijs sacrificiorum  
 non tulit Deus: quan-  
 to minus in neglectu  
 caritatis feret?  
 π Nunquid gratus ei  
 eris, nunquid beneuo-  
 lentia te cõplectetur?  
 ρ Vestra culpa sit.  
 σ Utinam potius  
 clauderetis templum,  
 & non offerretis frustra, & mihi ingrata

Mensa DOMINI<sup>v</sup> despe-  
 cta est. & si offeratis & cæ-  
 cum ad immolandum, nonne  
 malum (est) & si offera-  
 tis claudum & languidum,  
 nonne malum? Offer o il-  
 lud, quæso, Duci tuo, nun-  
 quid π uolet te aut suscipiet  
 faciem tuam? dicit DOMI-  
 NVS exercituum. Et nunc  
 deprecamini, quæso, faciem  
 Dei, & miserebitur nostri,  
 (de manu & uestra factum  
 est hoc) nunquid suscipiet  
 facies uestras? dicit DOMI-  
 NVS exercituum.  
 Quis etiam in uobis (est)  
 qui σ claudat ostia, & non  
 incendatis ignem (super) al-  
 tare meum frustra?  
 Non



Non est mihi <sup>τ</sup> voluntas alicubi uertit: Wer ist  
 in uobis, dicit **DOMINVS** vnter euch/der vmb  
 exercituum, & oblationem sonst ein thür zus  
 non suscipiam de manu ve- schlosse: oder ein  
 stra. Quia ab ortu Solis, liecht auff einem al-  
 usque ad occasum eius, ma- tar anzünde: Q. d.  
 gnum est <sup>v</sup> Nomen meum Non hilari & sponta  
 in gentibus, & in omni lo- neo animo, sed inuiti  
 co <sup>φ</sup> incensum offertur aut uestri commodi et  
 Nomen meum lucri gratia mihi ser-  
 mini meo, & <sup>x</sup> sacrificium uitis, Ideo uestros cula-  
 mundum, quia magnum tus reijcio.  
 est Nomen meum in gen- <sup>τ</sup> Non estis mihi gra-  
 tibus, dicit **DOMINVS** ti & accepti, non pla-  
 exercituum. Et vos pollui- cetis mihi, Ideo nec sa-  
 tis illud, in eo quòd dicitis: crificia uestra placēt.  
 Mensa **DOMINI** contami- <sup>v</sup> Vera Dei noticia,  
 nata est, & <sup>†</sup> fructus eius inuocatio & celebra-  
 despectus cibus eius. Et tio per Euangelium  
 Christi toto orbe ter-  
 rarum spargetur.  
<sup>φ</sup> Precatio ardens,  
 supra aram Christum  
 oblata. Thymiamatis  
 descriptio extat Exo-  
 di 30.

H 3 dixistis: di 30.

<sup>x</sup> Hostie spirituales acceptae Deo per Christum, 1. Pet. 2.  
 MinHa, sacrificium cibarium, de quo Leuit. 2. 6. <sup>†</sup> Pa-  
 nes, qui imponuntur Mensae, iuxta mandatum Leuitici 24.



**W** Magno labore uix  
adepti sumus hos pa-  
nes & has morbidas  
pecudes.

**A** Ir schlahets in  
Den wind.

**B** ἀδικητέον, καὶ  
δυτέον ἀπὸ τῆ ἀδι-  
κματώ.

**R** integer, expers ne-  
mi, fortis.

dixistis: Ecce de <sup>W</sup> labore,  
& <sup>A</sup> exufflastis illud, dicit  
**DOMINVS** exerci-  
tuum, & intulistis <sup>B</sup> raptum,  
& claudum, & languidum,  
& obtulistis munus: Nun-  
quid suscipiam illud de manu  
vestra? dicit **DOMINVS**.  
Maledictus dolosus, in cuius  
grege est <sup>R</sup> masculus, & votū  
faciens immolat corruptum  
Domino. Quia Rex Magnus  
ego, dicit **DOMINVS**  
exercituum, & nomen meum  
terribile in gentibus.

## CAPVT II.

Hortatur Sacerdotes, ut muneris  
sui officia, diuinitus ipsis mandata, que  
sunt, ueram de Deo doctrinam fideliter  
docere, honestè uiuere, sacrificia mun-  
da offerre &c, fideliter faciant, &

non



non obtemperantibus [pœnas corpo-  
rales & æternas comminatnr.

**E**T nunc ad vos mandatum  
hoc, & o Sacerdotes. Si  
non audieritis, & si non po-  
sueritis & super cor, vt detis  
gloriam Nomini meo, ait  
**DOMINVS** Sexercituũ,  
mittam in vos maledictio-  
nem, & maledicam & benedi-  
ctionibus vestris, & etiam  
maledicam d'illi, quoniam non  
ponitis super cor. Ecce ego  
increpo vobis sementem, &  
dispergam in stercus super  
vultus vestros, stercus & so-  
lennitatum vestrarum, &  
assumet vobis ad se. & Et scie-  
tis, Deo celebrationes festo-  
rum, sacrificia, & si-  
miles ceremonie, nisi præluceat fides & obedientia moralis.  
Vos unã cum stercore proijciemini. & OFFICIA bo-  
rorum seu fidelium ministrorum Ecclesie.

& subaudi, habeo, sem-  
per pertinet.

& Aduertetis ani-  
mum & obedieritis  
mandatoto isti.

v. bonis, quæ benedi-  
cente Deo habetis,  
non tantum frugibus,  
pecudibus, sed etiam  
sacerdotium totum &  
uobis tollam.

& Benedictioni ue-  
stræ. Enallage nume-  
ri.

& perdam, perire fa-  
ciam,

& summa ignominia  
uos afficiam. Solebat  
autem finus pecudum  
extra castra efferi.

& Non enim placent

Deo celebrationes festo-  
rum, sacrificia, & si-

miles ceremonie, nisi præluceat fides & obedientia moralis.

& OFFICIA bo-

rorum seu fidelium ministrorum Ecclesie.



Officia bonorum sacerdotum, quibus uita et pacem, presentem et eternam salutem Deo promittit. *tis, quod miserim ad vos mandatum illud, ut esset pactum meum cum Leui, dicit DOMINVS* exercituum. Pa-

1. Timere Deum. Etum meum, quod fuit cum eo, *Vitae et Pacis, et dedi ea illi (ob) timorem, et timuit* care.

2. Veram doctrinam Legis et Euangelij fideliter praedicare. *me, et a facie Nominis mei* pauebat.

3. Falsam doctrinam fugere et refutare. Lex (doctrina) Veritatis fuit in ore eius, et iniquitas non est inuenta in labijs eius: *in pace et in equitate ambulauit mecum, et multos auertit ab iniquitate.*

4. Honestate uita et exemplis omnium uirtutum, praecipue autem studij pacis et equitatis, auditoribus praelucere. *Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore eius, quia*

o Principale officium sacerdotum, ut sint custodes et propagatores uerae de Deo doctrine. *Angelus DOMINI exer-*

o 2. Corinth. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo dhortante per nos.

Vos



¶ Vos autem recessistis de  
via, & offendistis plurimos  
in lege; irritum fecistis pa-  
ctum Levi, dicit D O M I-  
N U S exercituum. Et ego  
etiam & dedi vos contempti-  
biles & humiles omni populo:  
sicut non servastis vias meas,  
& accepistis faciem in lege,  
id est, estis προσωποληπταί.

II. Accusat uiolationem legum CON-  
IUGII in Sacerdotibus & populo, quòd  
& alienigenas seu filias idolatrarum  
ducerent, contra expressam legem  
Deut. 7. & temerè repudiatis priori-  
ribus coniugibus, alias ducerent.

Nunquid non Pater τ vnus  
(est) omnib. nobis? Nunquid  
non Deus vnus creauit nos?  
Quare (ergo) præuaricamur

H 5 quisque  
unum uocaui eum, & benedixi ei, &  
Ex huius posteritatis coniuges ducite, non ex gentibus.

¶ Antithesis. Vos neg-  
ligitis bonorum sa-  
cerdotum officia, de-  
prauatis doctrinam,  
& cultus, turpiter ui-  
uitis, falsa doctrina  
& malis moribus  
auditores seducitis &  
offenditis. Ideo uos  
puniam.

¶ Osee 4. Quia tu  
scientiam repulisti, re-  
pellam te, ne sacerdo-  
tio fungaris mihi: Et  
oblitus es legis Dei  
tui, obliuiscar filiorum  
tuorum. Iere. 8. Vera-  
bum Domini proiece-  
runt, & sapientia nul-  
la est in eis: Quia à  
Propheta usq; ad Sa-  
cerdotem, cuncti fa-  
ciunt mendacium.

τ Esai. 51. Attendite  
ad Abraham patrem  
uestrum, & ad Saram,

quæ peperit uos, Quia

multiplicauit eum &c



¶ Pactum coniugale, quod Deus cum patribus nostris instituit, Gene. 2, & Deut. 7. Quisq; in fratrem suum, violando & pactum patrum nostrorum. Præuaricatus est Iuda, & abominatio facta est in Israel, & in Ierusalem: Quia contaminauit Iudas & sanctificationem DOMINI, quam dilexit, & habuit coniugem & filiam Dei alieni.

X Ducunt filias idolatrarum impias, contra legem Domini, Deut. 7. Iosue 23. ni.

I. Esd. 9. Populus Israel & Sacerdotes ac Leuitæ non sunt separati à populis terrarum & de abominationibus eorum, Chananæis uidelicet & Pheræzeis, & Iebuseis &c. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi & filijs suis uxores: & commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum, I. Esd. 10. Inuenti sunt de filijs Sacerdotum, qui duxerunt uxores alienigenas.

† Sacerdotem.

Disperdat DOMINVS virum, qui fecerit hoc, magistrum & discipulum de tabernaculis Iacob, & offerentem munus DOMINO exercitum. Et hoc secundo faci-



facitis operiendo <sup>o</sup> lachrymis  
altare **DOMINI** fletu <sup>o</sup>  
clamore, vt nō respiciam <sup>o</sup>  
tra ad sacrificium, nec acci-  
piam <sup>o</sup> beneplacitum de ma-  
nu vestra.

Et dixistis: Quam ob  
causam? <sup>o</sup> Propterea, quōd  
**DOMINVS** testificatus  
est inter te <sup>o</sup> uxorem adole-  
scentiæ tuæ, quam tu despe-  
xisti, cū ipsa (sit) socia  
tua, <sup>o</sup> vxor fœderis tui.  
<sup>o</sup> Et non vnicus (Abraham)  
fecit, <sup>o</sup> (tamen) excellens  
spiritus ei. <sup>o</sup> Et quid vnicus  
ille? Quærebat semen Dei.  
Custodite ergo <sup>o</sup> spiritum  
vestrum,

<sup>o</sup> Studiose <sup>o</sup> toto pectore cauetis <sup>o</sup>  
etiam libidinum.

<sup>o</sup> Mulierum Iudai-  
carum, quæ à uobis  
repudiata lugent, <sup>o</sup>  
queruntur se imme-  
rito à uobis eijci, <sup>o</sup>  
alias induci.

<sup>o</sup> Munus placens  
et gratum.

<sup>o</sup> Quia sanctissimum  
coniugij fœdus temere  
re uiolatis,

<sup>o</sup> Obiectio: Abra-  
ham quoque duxit  
Agar alienigenam.  
Ergo nobis quoque  
alias inducere licet.

<sup>o</sup> Responsio: Abra-  
ham non curiositate  
aut petulantia duxit  
aliam uxorem, sed ut  
quereret semen sibi  
à Deo promissum.

<sup>o</sup> fugite hanc petulan-  
tiam libidinum.



strum, & in uxorem adole-  
 scentie tue ne prauariceris,  
 ou. Alia obiectio ex lege de Diuortio,  
 Deut. 24. ou Si odio habuerit (qui-  
 spiam uxorem suam) dimit-  
 tat, dicit **DOMINVS**

Responsio: Hæc Deus Israel, ou Et operit ini-  
 tantum sunt  $\omega\rho\omega\chi\eta$  quitatem, quasi vestimento  
 $\mu\alpha\tau\alpha$ , pretextus & suo, dicit **DOMINVS**  
 uelamenta cupidita- exercituum. Custodite igitur  
 tum & scelerum ue- vos in spiritu vestro, & noli-  
 strorum. te prauaricari.

Scandalum felicitatis **Fatigastis DOMINVM**  
 impiorum, & crucis sermonibus vestris, et dicitis:  
 piorum, Psal. 73. In quo eum fatigauimus? in  
 & 37. eo, quòd dicitis: Omnis faciens  
 Estis Hypocrite. malum, bonus est in oculis  
**DOMINI**, & talibus de-  
 Deus iudicans & pu- lectatur: aut ubi est Deus  
 niens hæc peccata. Iudicij?

CA=



## CAPVT III.

**E**Cce ego mittam & Ange-  
lum meum, & purgabit  
viam ante faciem meam, &  
statim veniet ad templum  
suum & Dominator, quem vos  
queritis, & Angelus Testa-  
menti, quem vos vultis:  
Ecce venit, dicit **DOMI-**  
**NVS** exercituum, & dicit quis  
prouidebit diem aduentus eius,  
& quis stabit cum apparue-  
rit.

Ipse enim quasi ignis & ex-  
coquens, & quasi & herba ful-  
lonum: Et sedebit & exco-  
quens & emundans argen-  
tum, & purgabit filios Leui,  
& colabit eos quasi aurum,  
& quasi argentum: & erunt

**DO**

Prophetia de Iohanne  
Baptista, & ad-  
uentu CHRISTI.

& Matth. II. Mar. I.

Luc. 7.

& Christus Rex &  
Sacerdos.

& Filius, qui est in si-  
nu Patris, ipse annun-  
ciauit Euangelium.

Ebre. 9. Christus noui

Testamenti mediator

& Pauci scient ipsum

esse Christum, &

multi offensi misera

specie Christi defi-

cient.

OFFICIUM Christi,

purgare peccata.

& Verbo & cruce.

& Borith, Saponaria.

& I. Pet. I. Ut fides

uestra probata, multo

preciosior auro in-

niatur &c.



**D** i. Pet. 2. Vos estis regale sacerdotium, ad offerendas hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

¶ Sicut olim placuerunt fide, etiam ante legem. Fide enim Abel meliorem hostiam obtulit, quam Cain.

¶ Iudicium & excommunicatio impiorum e regno Christi.

¶ Sententiam & iudicium aduersus peccata.

¶ Non desinitis, nullum peccandi finem facitis.

**DOMINO** offerentes sacrificium in iusticia. Et placebit **DOMINO** sacrificium Iuda & Ierusalem, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui. Et accedam ad vos ad iudicium, & ero testis velox in maleficos & adulteros, & in periuros & calumniantes mercedem mercenarij, viduæ & pupilli, & opprimentes peregrinum: nec timuerunt me, dicit **DOMINVS** exercituum. Quia ego **DOMINVS** non muto, & vos filij Iacob non desistitis. A diebus patrum vestrorum recessistis à statutis meis, & non custodistis illa. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos

**VOS**



Vos, dicit DOMINVS  
 exercituum, & dixistis, in  
 quo conuertemur? Num & sup-  
 plantabit homo Deum, sed  
 vos supplantatis me, & dici-  
 tis, in quo supplantamus te?  
 (in) decimis et o oblationibus.  
 Maledictione maledicti estis,  
 et me vos supplantatis gēs tota.

π Inferant omnem deci-  
 mam in domum horrei, & sit  
 cibus in domo mea, & proba-  
 te me in hoc, dicit DOMI-  
 NVS exercituum: Si non  
 aperuero vobis & cataractas  
 caeli, & effudero vobis σ bene-  
 dictionem, vsque ad abundan-  
 tiam, & increpabo vobis τ de-  
 uorantem, & non corrumpet  
 vobis fructum terrae, & non  
 orbam & perdunt.

v Hypocrite caci,  
 non agnoscunt suam  
 impietatem.

ξ Kaba, spoliat,  
 uel spoliare & rape-  
 re debet ea, quae Deo  
 dicata sunt: sicut no-  
 stris etiam temporis  
 bus usitatissimum est  
 non dare debita sti-  
 pendia ministris, &  
 Ecclesias spoliare.

o Thruma, Le-  
 uandis, Sebopffer.  
 π Exhortatio ad  
 conseruationem mi-  
 nisterij.

Ab utili.

ρ Α καταρῆνυμι.  
 rumpo, cum impetu  
 deijcio.

σ Omnia bona.

τ Erucas, & omnia  
 insecta, quae res terra  
 nascentes arrodunt  
 & perdunt.



orbabit vobis vitem in agro,  
dicit **DOMINVS** exer-  
cituum. Et beatos dicent vos  
omnes gentes: eritis enim vos  
terra desiderabilis, dicit **DO-**  
**MINVS** exercituum.

## CAPVT IIII,

**I**nualuerunt aduersus me  
α **Blasphema** obie-  
ctio Epicureorum:  
Si est Deus, & si est  
providentia: tum pijs  
debet bene esse: impijs  
male. Sed nunc impij  
florent & dominan-  
tur: Pij premuntur  
cruce & erumnis.  
Ergo non est provi-  
dentia.  
β **Impios.**  
γ **Creuerunt** opibus  
& potentia: omnia  
eis feliciter succe-  
dunt.

α **verba vestra, dicit DO-**  
**MINVS.** Et dixistis:  
Quid locuti sumus contra te?  
Dixistis: Vanum (est) cole-  
re Deum: & quid emolumen-  
ti, quòd custodiimus custo-  
diam eius, & quòd ambula-  
uimus humiliter coram **DO-**  
**MINO** exercituum. Nunc  
ergo beatos dicimus β **super-**  
**bos**: etiam γ **edificati sunt fa-**  
**cientes**



cientes impietatem: etiam  
 tentauerunt Deum, & ser-  
 uantur. <sup>d</sup> Tunc locuti sunt  
 timentes Deum, unusquisq;  
 ad proximum suum. Et at-  
 tendit **DOMINVS**, &  
 audiuit, & scriptus est liber  
 memoriae coram eo timentibus  
**DOMINVM**, & cogitantibus  
 nomen eius. Et erunt mihi,  
 ait **DOMINVS** exercituum,  
<sup>ε</sup> in die, quam ego facio,  
 peculium: & parcam eis,  
 sicut parcit vir filio suo  
 seruienti sibi. Et conuertemini,  
 & discernetis inter iustum  
 & impium: & inter serui-  
 entem Deo, & non serui-  
 entem ei.

<sup>d</sup> Responsio piorum:  
 Certò asseueramus,  
 esse prouidentiam,  
 & **DEVM** inspe-  
 ctorem esse ac iudi-  
 cem humanarum ac-  
 tionum, et pios ama-  
 re ac tueri: impios  
 odisse & punire.

<sup>ε</sup> Cùm reuelabitur,  
 quòd sint mihi cari  
 & accepti.

**I** Ecco



Impij herebunt in  
pœnis præsentibus  
& æternis, Matt. 25.  
Ite maledicti in ignem æternum.

Pios Christus sol  
iusticiæ ex omnibus  
malis seu tenebris  
peccati liberatos ue-  
ra consolatione, uita  
& letitia in his ter-  
ris & in omni æter-  
nitate complebit.

Iohan. 8. Ego sum  
lux mundi. Esa. 60.  
Surge illuminare Ie-  
rusalem, quia uenit

lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Vt enim sol  
toti mundo lucem præbet, ita Christus toti Ecclesiæ lucem  
ueræ agnitionis Dei & ueræ iusticiæ & uitæ æternæ imper-  
tit. i Salus. n Radijs Christi solis iusticiæ. Vel intel-  
ligatur Metaphora sumpta à gallina sub alis fouente pullos  
suos, Luc. 19. Psal. 91. n Vos quoq; spargetis radios  
uestre lucis à Christo acceptæ pia confessione & propaga-  
tione doctrine, Matth. 5. Luceat lux uestra coram hominib.

Ecce enim Dies venit  
ardens quasi caminus: &  
erunt omnes superbi et omnes  
facientes impietatem, stipula:  
et comburet eos dies ueniens.  
dicit **DOMINVS** exer-  
cituum, quæ non relinquet  
eis radicem nec ramum.

Et orietur uobis timen-  
tibus nomen meum **SOL**  
**IUSTICIÆ**, & sanitas  
in pennis eius: & egredietis  
mini, & pinguescetis sicut  
vituli saginarij, & calcabi-  
tis



tis impios cum fuerint (vt) cinis, sub plantis pedum vestrorum, in die, qua ego facio, dicit **DOMINVS** exercituum. Mementote legis Moyses serui mei, quam mandavi ei in  $\mu$  Horeb, ad vniuersum Israel praecepta & iudicia.

v Ecce ego mitto vobis  $\xi$  **HELIA** M Prophetam, antequam veniat o dies **DOMINI** magnus & terribilis: Et conuertet cor  $\pi$  patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam, & p percutiam terram excidio.

**FINIS MALACHIAE.**

Christum credant, ut sit una fides, inq; Deo sit mens una, sit unus amor. p Sicut terram & totum regnum Iudaicum deleuit, propterea quod ad Christum non sunt conuersi.

$\mu$  In monte Sinai, Exod. 20.

v Conclusio ueteris Testamenti.

$\xi$  Matth. II. Iohannes Baptista est Helias, qui uenturus est.

Qui habet aures audiat. Luc. I. Iohannes praecedet Christum in spiritu & uirtute Heliae, ut conuertat cor patrum ad filios.

o Dies regni Christi magna efficiens, non tantum edendis miraculis, sed placando iram Dei, & conuertendis impijs ad Deum, donanda hominibus iusticia & salute aeterna.

$\pi$  Vt filij exemplo sanctorum patrum in

Deo sit mens una, sit unus amor.







# LIBRI MACCABEORVM, IN CVIVS

lectione decem locos præcipuè considerandos esse antea admonui.

Quorum primus est:

**HISTORIA** Ecclesiastica & politica populi Iudaici, complectens annos quadraginta, ab Antiocho Epiphane, & anno Mundi 3790. vsq; ad initium Iohannis Hircani, & annū Mundi 3830. Quam paulò altius ab Alexandri Magni temporibus inchoatam vsq; ad Christum natum contexamus.

II. Tota doctrina de **ECCLÉSIA**: Quomodo inde ab initio constituta & collecta sit voce promissionis de Christo Mediatore. Qualis fuerit eius gubernatio per ministerium docendi, & excitatos subinde Prophetas & Doctores, & addita miracula testimonia doctrine. Quomodo discernenda sit à cæteris gentibus. sicut Maccabeorum temporibus, non dubium est, multos di-

I 3 . sputasse



sputasse, nihil inter Græcas & Iudicas  
 opiniones de DEO interesse, sed unum  
 Deum conditorem cæli & terra à Iudeis  
 & Gentibus pariter coli. quem Iudæi Ie-  
 houah. alij Iouem, alij Palladem, alij ali-  
 ter nominarent, & signis ac ceremonijs  
 cultuum & sacrificiorum solummodo  
 differrent. Fecit autem infinitum discrimen  
 inter veram Ecclesiam populi Is-  
 rael, & ceteras gentes, doctrina de ve-  
 ro DEO, qui non aliter agnosci & coli  
 vult, quàm sicut se in veroo à se Eccle-  
 sia tradito patefecit, & promissio de Me-  
 diatore Christo, propter quem solum æter-  
 nus Pater nobis propicius & placatus,  
 peccata remittit, nos in gratiam recipit,  
 invocantes exaudit, & æterna salute &  
 vita donat, ut scriptum est Iob. 3. Qui  
 credit in Filium, habet vitam æternam.  
 Qui non credit Filio, non habet vitam,  
 sed manet ira Dei super eum. 4. Quòd  
 Ecclesia vera cruci & persecutionibus  
 subiecta sit, & cur sit subiecta, videli-  
 cet, ut agnoscat & metuat iram Dei ad-  
 versus



uersus peccatum, quam mundus negligit  
 & contemnit: & exercitia fidei & in-  
 uocationis, patientia, confessionis, con-  
 stantia, & ceterarum virtutum habeat:  
 & fide ab ipso pendeat: & presentiam  
 Dei mirabiliter seruantis pios, etiam si-  
 ne presidys humanis, cernat: Deniq; ut  
 conformis fiat imaginis Filij Dei in cru-  
 ce & liberatione &c. sicut 12. causa,  
 cur Ecclesia pre reliqua hominum mul-  
 titudine tam duriter adfligatur, ex Ca-  
 techismo note sunt. 5. Quod Ecclesia in-  
 ter has erunas tamen diuinitus seruetur.

Est enim hic vnus ex precipuis &  
 maximè illustribus locis in tota Historia  
 Maccabeorum: Exemplum mirande con-  
 seruationis Ecclesie inter horrendas per-  
 secutiones & fluctus erumnarum: Quod  
 ad cetera exempla conseruationis Nohe  
 in diluuiio: Israelitarum sub Pharaone  
 Antiocho & in mari rubro: Zachariae,  
 Simeonis, Marie, sub Herode: Christiano-  
 rum sub Diocletiani & aliorum tyran-  
 norum persecutionibus, adiungendū est.

I 4 III. De



III. De POLITIA IVDAICA, quæ  
 eam ob causam præcipuè constituta, &  
 inter tot ac tantas calamitates & pœnas  
 populi inobedientis, tamen instaurata  
 & conseruata est, ut hospitium nascentis,  
 & schola docentis Christi, & certa  
 sedes Ecclesie esset, in qua Deus se pate-  
 faceret, & promissiones de Christo Me-  
 diatore subinde repeteret, & per Docto-  
 res à se excitatos latè spargeret & illu-  
 straret, & insignibus miraculis testimo-  
 nium doctrina præberet. & ubi libri  
 eius doctrina per certos testes custodiren-  
 tur & ad posteros transmitterentur.  
 Quamquam igitur & in exilio Babylo-  
 nico & his Maccabeorum temporibus,  
 duriter hæc politia afflictæ & oppres-  
 sa fuit: tamen Deus eam mirabiliter  
 usq; ad Messia aduentum restituit &  
 conseruauit. Quo exhibitio funditus tota  
 politia deleta, & nunquam postea resti-  
 tuta est, etiam propter hanc causam, ut  
 testimonium esset, Messiam, quem stante  
 politia Israel exhiberi, & victimam fie-



ri, ac resuscitatum ex morte conspici, & regnum suum inchoare oportebat, certò venisse, nec diutius expectari debere.

1111. De Discrimine Promissionum populo Israel à Deo traditarum. Promissio gratia Dei, seu remissionis peccatorum, & vite aeternae, propter Filium Dei Mediatorem donandae, ad omnium temporum, locorum & gentium Ecclesiam pertinet, & semper rata est credenti in conuersione, iuxta dictum: *Viuo ego, volo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.* Et Iob 13: *Etiam si occiderit me, sperabo in eum.* Alia est promissio longè inferior, de certa politia populi Israel, usq; ad Messiae aduentum diuinitus defendenda, Gene. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat Siloh.* Huic promissioni, etsi rata & firma est, tamen ut ceteris bonorum corporalium promissionibus, exceptiones adiunctae sunt. Primum, Pœna impiorum & contumaciter violantium legem Dei. Secundo, Crucis & dominacis piorum

I s Ter.



Tertiò, non prescribendi DEO temporis  
 & modi, quo promissa prestare debeat.  
 Quanquam igitur politie Iudaice de-  
 fensionem & libertatem promisit Deus:  
 tamen horrendam impietatem Regum  
 & populi, deleto per Chaldaeos regno &  
 urbe regia, horribiliter punit: & tamen  
 mirabiliter restituta politia, servat pro-  
 missa. Daniel, quanquam non delique-  
 rat, ut Sedechias, tamen abducitur in  
 exilium, quia pios etiam certo consilio  
 cruce premit & exercet Deus. Sic Mac-  
 cabeorum etate, cum Pontifices inter se  
 de sacerdotio, velut Thebanifratres, cer-  
 tarent, & sua ambitione ac furys Antio-  
 chum accerserent: tota Iudaea valde dis-  
 riter castigata, & multi pijs unà interfe-  
 cti sunt: & tamen Deus, excitatis heroi-  
 bus Maccabeis, politiam defendit, & te-  
 stimonia presentie suae varia & multi-  
 plicia, in constantia Martyrum, & mi-  
 randis Maccabeorum victorijs, & Antio-  
 chi aliorumq; persecutorum pœnis osten-  
 dit.

Præterea



Præterea & bonorum corporalium promissiones Israelitis traditæ, à generalibus promissionibus Ecclesiæ, discernenda sunt. Iudeis certa sedes in Palestina Syria, & certa politia fuit promissa. Nunc Ecclesiæ non pollicetur Deus certam sedem in Germania aut Dania, sed in diuersas politias, inter gentes sine certo imperio, sparsa est, & tamen, quia alicubi eam esse oportet, aliqua hospitia & Halcyonia se Ecclesiæ præbiturum, eamq; usq; ad finem mundi conseruaturum esse Deus promittit Esa. 49. Reges erunt nutritij tui, & regine nutrices. Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi.

V. Consolatio piorum seiungentium se ab ordinaria potestate sacerdotum impiorum, qui vociferantur, sentiendum esse cum ordinarijs gubernatoribus, & maiori parte: & inhonestas ac seduciosas esse omnes seiunctiones à legitima potestate seu à communi consensu maioris partis. Ut autem Maccabeorum tem-  
poribus



poribus summi sacerdotes, Antiochus, & principes, & maior pars populi, abiecta lege Dei, Ethnicos ritus amplectebantur: Econtra, minor pars erant Maccabei & pauci alij veram de Deo doctrinam profitentes, & inter supplicia etiam constanter retinentes, quorum causam Deus probat, & sibi placere manifestis testimonijs ostendit: ita nostris temporibus non deterreamur à professione vere de DEO doctrinae, etiamsi maxima pars generis humani Mahometicos furores amplectitur, & in eo cœtu, qui Ecclesia Dei nominatur, ordinaria potestas seu Pontifices & Episcopi, & maxima pars populi impios errores & idola pertinaciter retinet, & gladio ac igne propugnat.

V 1. Tota Maccabeorum historia illustris imago est, presentis postremi temporis, certaminum de Religione, paucitatis piorum, potentiae & crudelitatis impiorum principum & Pontificum, Deniq; calamitatum, persecutionum, liberationum, & totius status Ecclesiae nostri temporis.

VII:EX-



VII. *Exempla insignium & heroicarum virtutum in MACCABEIS defensoribus vere de DEO doctrinae et Ecclesiae lucentium considerentur. Ardens pietas & zelus defendenda gloria Dei & Religionis. Intellectus & amor vere de DEO doctrinae eximius. Seria & ardens inuocatio Dei. FIDES innixa Deo & trepidantia firmans pectora, venturosque expectans leta triumphos. Constantia in confessione & periculis ac supplicijs confessionem comitantibus. Pietas erga patriam. Magnitudo animi orta ex fiducia praesentiae Dei. Fortitudo in dimicando, acerrimos labores & vitae pericula pro communi defensione Ecclesiae, patriae, religionis, disciplinae &c. suscipiens, pulchramque petens per vulnera mortem. Has virtutes singuli pro sua vocatione & loco studeant imitari.*

VIII. *Doctrina de Militia & Bellis legitimis repetatur, quae DEO placere imò cultum DEO gratum & acceptum esse, haec ipsa Maccabeorum bella ostendunt.*



dunt. Docent item, viris fortibus & sanctis, ad hos precipuos fines, referenda esse bella, ut in PACE vera DEI noticia & Christi doctrina conseruetur, & Ecclesia, patria, literarum studia, honeste leges, disciplina, coniuges, liberi, defendantur, sicut Paulus pro Magistratu gladium gerente precari iubet, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni PIETATE & honestate. Et noti sunt grauissimi versus.

Conferti ciues animis ingentibus, acres  
 Quisq; suo pugnat loco, nec uulnere quisquam  
 Seu mortis fugiat pavidus formidine uictus.  
 Sed iaceat fati si quem sors dura peremit.  
 Pro patria magnum decus est profundero uita,  
 Nam reliqui ciues nostra uirtute teguntur.  
 Et saluae interea matres natiq; manebunt,  
 Qui sunt etatis uenturae semina & urbis.  
 Tempora manent, legesq; bonae, pietasq; pudorq;  
 Et tunc quisque suis rebus fundisq; fructur,  
 Cum pulsifugient hostes in patria regna.

IX. Lumen undecimi & octauo Capituli prophetiae Danielis est Historia Maccabeorum, recitans euentus omnium eo-

rum



rum, quæ à Daniele prædicta erant. Postremò, de quatuor libris Maccabeorum, qui in Græca editione Bibliorum extant:

PRImus, ab Antiocho Epiphane exorsus, continuam quadraginta annorum historiam usq; ad Simonis Maccabei obitum, & Iohannis Hircani initium continet.

SECundus, paulò altius primam originem & occasiones attrahendi in Iudeam Antiochi repetens: 14. annorum historiam, ab initio Antiochi usq; ad Nicanorem à Iuda Maccabeo trucidatum, continet, nec ulterius, quàm ad 1. Maccab. 7. peruenit. Sunt autem primi Maccab. 1. capituli commentarius illustris, narrationes, quæ 2. Maccab. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. recensentur.

TERtius liber Maccabeorum unicam historiam recitat, quæ 50. annis Iudæ Maccabei tempora antecessit, de Ptolomeo Philopatore, Evergetis filio, qui Antiochi Magni exercitum ad Raphiam vitit, & Ierosolymis à Simone Iusto Pontifice

fice



fice (nepote Simonis à Syracide celebrati) honorifice exceptus, & usitata Regibus curiositate in adytum templi ingressurus, precante sacerdote, diuinitus uia represus est, ut semianimis ex templo exportaretur. Quare Iudeis iratus, cum Alexandriam redisset, publicis edictis omnes Iudeos in vincula rari, & elephantis obijci iubet. Sed Angelorum instinctu elephantia à Iudeis captiuis auersi, in Aegyptios milites & proceres grasati sunt.

QVARTUS liber, Iosephi de Maccabeis, tantum laudatio est Eleazari, & septem fratrum Maccabeorum, quod 1. Maccab. 6. & 7. descriptum est. In Germanicis autem Biblijs, duo primi tantum Maccabeorum libri, ex Graeca in Teutonicam linguam conuersi sunt à Philippo Melanthe. Quem authorem etiam oratio propria & purissima, & multo simplicior & facilior, quàm in ceteris Bibliorum libris, demonstrat.

Nomeo



Nomen **MACCABEI**, non à fami-  
lia, cui à Matathia auo, Simone, Asmo-  
neorum cognomen proprium fuit, sed ex  
literis in vexillo pictis sumptum fuisse,  
Reuchlinus in Cabala ostendit:

י כ נ כ ט

Ma Cemo Ælohim Be Israel  
Quis sicut **DEVS** in Israel.

Quasi dicat: Confessores & milites  
vnius veri **DEI**, qui se patefecit popu-  
lo Israel tradita certa doctrina legis, &  
promissione de Christo Redemptore.

Qua de Schemphoras seu nomi-  
ne **DEI** exposito 7 2 literarum, signifi-  
cato literis י כ נ כ ט adduntur, in ipso  
Reuchlino legi possunt.

Seriem familiae Maccabeorum vsq;  
ad Herodis tempora deductam, in Ta-  
bella catalogum Pontificum Iudaico-  
rum omnium complectente descripsi,  
eamq; sequenti Chronologia magna ex  
parte intexam.

K

CHRO-



CHRONOLOGIA  
**HISTORIAE MACCABEORVM.**

Anno  
 Mundi

IV DÆÆ.

3628

**ALEXANDER MAGNVS,**  
 Philippi filius,  
 in terra Cethim,  
 seu Macedonia,  
 regnare coepit.

Ante  
 Christum.  
 natum

334

**IADDI** Ponderificatus anno 22.  
 Huius **IADDI**  
 frater **MANASSES**  
 cum propter  
 ductam Nicasso filiam  
 Sanaballath præsidis  
 Samariæ alienigenam,  
 sacerdotij iure Ierosoly-  
 mis a Nehemia priuatus  
 esset: ad focerum in  
 Samariam concessit,  
 ibiq; templum simile  
 Ierosolymitano in monte  
 Garizim condidit,  
 cuius Iohannis 4. mentio  
 fit. Nehemie 13. Ioseph:  
 lib. 11. cap. 7.

**ALEX**



Anno

I V D Æ Æ.

Mundi

3632 ALEXANDER MAGNUS uictus ad Issum Dario, & expugnata Tyro, IEROSOLYMAM uenit, ubi a IADDO Pontifice exceptus & placatus est, & monstrata Danielis predictione, qui ante 200. annos uaticinatus fuerat, Regem Graecum imperio Persico potiturum esse: Tributa ab Ocho imposta Iudæis remisit, eosq; clementissime complexus est. Ioseph: lib. II. cap. 8.

3634 Alexander post uictum ad Arbela Darium & occupatam Babylonem, Monarcha orbis terrarum factus est.

3640 Alexandro mortuo, Duces inter se prouincias partiuntur ac primus PTOLEMÆVS LAGI, ÆGYPTVM regio nomine tenuit annis 40. Antigonus Asiam & Pamphylia. Antipater Macedoniam: Eumenes Cappadociam: Lao-

ONI

AS

Priscus

Iaddi

filius,

P. M.

annis

27.

K. 2

medon



Anno	REGES SYR: ET ÆGYPTI	IV <sup>a</sup>
Mundi	medon, Syriam: Leonnatus Helle-	dææ
3640	spontum: Lysimachus, Thraciã &c. Seleucus eo tēpore summus equitum Magister seu Comes stabilis erat: Pri- triennio post Babylonie præfectus. Interca Ptolemæus Lagi post inter- fectum Perdiccã, Palæstinam et Sy- riæ partē, capto Laomedonte, occu- pavit, & urbē Ierosolymam sabbato fraude cepit, et multa Iudæorū mil- lia in Ægyptū captiua abduxit. Po- stea Seleucus Antigonū, qui Eume- nē recēs in Media uicerat, et Baby- lonem diuerterat, metuens, fugit ad Ptolemæū: cuius auxilio Babyloniam recuperavit, & partem Syriæ ce- pit anno 14 post Alexandri mortē. 3653 Ab eo initio regni Seleuci in Syria inchoantur anni regni Græcorum, quorum toties in libris Maccabeorū mentio fit, ut perspicuè ostendit Io- sephus lib. 12. ca. 6. non ab initio re- gni Alexādri: nec à morte Alexan- dri inchoata computatione, ut ple- riq; faciunt. Quod diligenter con- siderari necesse est.	O = niæ Pri- sci.
		SE =



Anno	R. SYRIÆ	ÆGYPTI	IVDÆÆ
Mun=	SELEVS	Ptolemæi La-	Oniæ pontifi-
di	CVS Ni-	gi anno 14.	catus año 20.
3654	canor pri-		
	mus rex Sy-		
	riæ annis		
	31.		SIMON
3661	9	22	ONIÆ sum-
			mus sacerdos.
			quem illustri
			encomio cele-
			brat Syraci-
			des cap. 50.
			annis 13.
3674	22. Seleucia	35	ELEAZA-
	Antiochiæ		RVS frater
	Laodiceæ		Simonis sum-
	Apancæ et		mus sacerdos
	in cæteris		annis 20.
	urbibus à se-		
	conditis Se-		
	leucus Iu-		
	dæos etiam		
	ciues adscri-		
	psit, Ioseph:		
	lib. 12. cap. 3		

K 3





ANNO MUNDI.	REGES SYRIÆ.	ÆGYPTI.	IVDÆ.
3680	28 Seleuci Nicanoris.	2. PTOLE- MÆVS PHI- LADELPH- VS post pa- tris mortem annis 36. cum patre 3.	ELEAZA- rus summus sacerdos.
3684	ANTIO- CHVS So- tor, Seleuci filius. An- nis 19.	120000. Iu- dæis in Ægyp- to seruentib9 libertatem do- navit. 5. Dona splen- didissima Tem- plo Iudeorum mittit, & lxx. Interpretes ad se ablegari pe- tit.	LXXII. In- terpretes ab- Eleazaro ad Ptolmæum missi, à quibus libri Prophea- tici in Græc- am linguam trāslati sunt. Historiam coz- piosissime rea- citatur Iosephus lib. 12. cap. 2.
			ANTIO



Anno Mundi | Año Regni Græco | ÆGYPTI. IVDÆÆ.  
 in SYRIA.

3703. | 51 | 3. ANTIOCHVS THEOS  
 annis 15.

PTOLEMÆVS Philadel-  
 phus. Filiam Bere-  
 nicen Antio-  
 cho Theo Sy-  
 riæ Regi des-  
 pondit, ut re-  
 tineret urbes  
 Syria à Patre  
 occupatas.

MANASSES  
 patruus Elea-  
 zari, in Sacer-  
 dotio succedit  
 annis 27. Io-  
 sephus lib: 12.  
 cap. 3.  
 Huius tēpore  
 BELLVM  
 PVNICVM  
 I. à Romanis

3716.

3. PTOLE-  
 MÆVS EV-  
 ERGETES

gestum est.

3718. 66. | 4. SELEV-  
 CVS Callini-  
 cus Syria, &  
 Antiochus Hie-  
 rax frater, A-  
 siæ Reges, Be-  
 renicē nouer-  
 cam cum filio  
 interfecerunt.  
 Iustinus libro  
 27.

annis 26.  
 6. Ingens bel-  
 lum intulit Se-  
 leuco ob in-  
 terfectam so-  
 rorem Bereni-  
 cen, & Syros  
 ac Iudæos tri-  
 butum pende-  
 re cōegit.

ONIAS Simo-  
 nis filius sacer-  
 dos. in fine ca-  
 pi: 3. lib. 12.  
 Iosephi.  
 IOSEPH Pa-  
 ter Iohannis  
 Hyrcāi Luc: 3.  
 Dux populi  
 ex stirpe Da-  
 uid, annis 60.

K 4

lib: 12. ca. 4. Ios

In ab ad  
 m  
 uibus  
 phea  
 Græ  
 uam  
 unt.  
 co  
 res  
 phus  
 p. 2.  
 IO

TC  
 ZA  
 mus





Anno Mūdi.	Año rū	regni Græco= in SYRIA.	ÆGYPTI.	IVDÆ Æ.
3738.	86.	5. <i>Seleucus</i> Ceraunus, Cal- linici filius an- nis 3. Polybius lib 4.		Sententiæ IE- SV SYRACI- DÆ circa hoc tempus scrip- tæ.
3741.	89.	6. ANTIO- CHVS MAG-	4. PTOLO-	
3742.	90.	NVS Syriæ et Asiæ Rex an- nis 36. Polyb: lib. 5. pag. 150.	MÆVSPHI- LOPATOR, annis 17.	
3745.	93.	ANTIOCH- VS Magnus, Ciuitates in Sy- ria Phœnice Ægyptijs sub- ditas, proden- te eas Theo- doto, occupa- uit. Polyb. lib. 5. p. 150. 157. Sed ad Raphi- am uictus, rur- sū eas amisit.	Ptolomæus Philopator, cum Antiocho ad Raphiam dimicauit. Po- lyb. lib. 5. pag 164. 165. & uictor IERO- SOLIMAM ingressus, & Templi ady- tum uisurus cū subi-	SIMON Iu- stus P. M. qui Ptolemæ- um Philopæ- torem uicto- rem in sanctū sanctorum in- gressurum sua precaione res- pressit in 3. libro Macca- bæorum. Antio-



Anno Mūdi.	Año rū	reg: Græco- in SYRIA.	ÆGYPTI.	IVDÆÆ.
		ANTIOCHVS.	subito terrore consternatus & exanimis ex templo exportaretur, uehemē- ter irasci Iudæis cepit, & in Ægypto omnes Iudæos in uin- cula rapi, & Elephantis obijci iussit. Hæc Historia, argumē- tum est totius tertij libri Ma- cabeorū. Et σύγχρονος est ini- tio SECVNDI belli Punic.	
3760.	107	19. Antioch- us Magnus, infanti Pto- lemæo urbes in Syria & Phœnicia eri- pit: et Scopam Ducem Ægyp- tium ad Iorda- nem uincit.	5. PTOLE- MÆVS EPI- PHANES. annis 24.	ONIAS PI- VS Simonis fi- lius Sacerdos, cuius pietas et uirtus lauda- tur 2. Mac. 3. Ad hunc Oni- am, Arei Lacædæmoniorum Regis Epistolam recitat Io- sephus lib: 12. cap 5.
3766.	114.	Iussus autem á Romanis ur- bes occupatas restituere, fili- am Cleopatrá Ptolemæo de-	Romani Phi- lippum Regē Macedōiæ ui- cerūt	SCOPAs Dux Ægyptius in arce Siō presi- dium collocat. Postea se Iu- dæi



Anno Mūdi	An rum	no Regni Græco= in SYRIA.	ÆGYPTI DÆÆ. TI.
		spondet: & redi- tus Iudææ ac Sy- riæ cum eo par- titur.	cerunt. 1. Macca- beorū 8.
	122.	Bellum Antiochi cum Romanis, in quo totam Asiam cis Taurū amisit.	dæi se Antio- cho uictoride- dunt, qui tribu- tum eis impo- nit. Iosephus lib. 12. cap. 4.
5777.	125.	7. SELEVCVS Philopator Ant: Magni fil: an. 12. Mittit Heliodorū Ierosolymam, ut Templū spoliet:	Simon Benia- mita, thesau- ros templi Se- leuco prodit. 2. Macca. 3.
5783.	131.	uerū is, ab An- gelis flagellatus, re infecta disce- dit. 2. Macc. 3.	6. PTO- LEMÆ- VS PHI- LOME- TOR an- nis 35.
5789.	137.	8. ANTIOCH- VS EPIPHANes qui pro patre Antiocho Ma- gno Romæ obses fuerat. annis 12.	IASON Oniæ frater, summū sacerdotiū ab Antiocho emit & Gym- nasium Ethnicum Iero- solymis instituit 2. Maca- cab: 4.

Regn



Anno Mundi.	An	no Regni Græcorum in SYRIA & IVDÆA.	ÆGYP TI.
3795.	143.	<p>Prima Antiochi expedi- tio in Ægyptum specioso titulo maioris Ptolemæi Philometoris in regnum reducendi, aduersus mino- rem Physconem, qui Alex- andriam tenebat.</p> <p>Antiochus Pelusio alijsq; urbibus præsidia impo- nit. Rediens ex Ægyp- to, à Iasone Ierosolymis exceptus, Templum spo- liat, &amp; locupletum facul- tates diripit. 2. Macc. 4. 1. Macc. 1.</p>	<p>Ptolem. Philom:</p> <p>Fratres Ptole- mæi ani- maduer- sa An- tiochi fraude pacem inter se faciunt.</p>
3796.	144	<p>Menelaus, quem Iosephus Iasonis: 2. Macc. 4. Simo- nis Beniamitæ fratrem nominat: a Iasone ad An- tiochum legatus, sibi ipsi sacerdotium practicat.</p> <p>IAson in Ammonitidem exulat.</p>	
	145.	<p>8. Antiocho Epiphane in sedanda Cilicum seditione</p>	

OCCLV



Anno Mūdi,	An	no Regni Græcorum in SYRIA & IVDÆA
---------------	----	---------------------------------------

3796

occupato, Menelaus Oniam piūm  
Antiochiæ interfici curat 2. Macc.  
4. & paulo post Tyri coram Anti-  
ocho a legatis Iudæorum accusatus,  
absoluitur.

3797

145.

Secunda Antiochi expeditio in  
Ægyptum aduersus fratres recon-  
ciliatos, qui Syriaca præsidia ex  
urbibus dimiserant.

145.

C. Popilius Lenas, Romanorum le-  
gatus, ex uictoria de Perseo Macea-  
doniæ Rege, in Ægyptum profectus  
mandat Antiocho, ut ab Ægypto  
abstineat. Liui: Dec. 5. lib. 5. pag. 75.

Interea Iason exul, falso nuna-  
ciata Antiochi morte, Urbem Iero-  
solymam occupat & diripit. 2.  
Macc. 5.

Rediens igitur ex Ægypto AN-  
TIOCHVS, Ierosolymam, dolo pro-  
missa pace & incolumitate, capit,  
& mox Iudæos, uelut perfidos de-  
sertores, crudeliter trucidat.

Et quia propter Religionem sepe

ps



Anno Mundi	Anno Regni Græcorum in SYRIA & IVDÆA.
---------------	--

3798.	146	<p>pe eos rebellare uidebat: <i>Edictum de tota religione Iudaica abolenda, &amp; una communi religione in toto regno colenda proponit: passim ante domos extruit aras &amp; imponit Idola: abolet circumcissionem: Libros Legis Mosaicæ iubet comburi: collocat die 15. mensis Casleu in Templo statuam Iouis Olympij, in monte Garizim Iouis Xenij. Munit arcem Sion collocatis in ea præsijs quæ Edicta Regis defenderent. 2. Macc. 5. 6. 1. Macc. 1.</i></p> <p>ELEAZARI SCRIBÆ &amp; septem fratrum ingenua confessio &amp; Martyrium illustre 2. Macc. 6. 7.</p>
-------	-----	--

MATATHIAS ASmoneus Sacerdos (ex uice Ioarib id est prima) cum quinque filijs Maccabæis, pro aris & focis, & solus & cum alijs, uoce & armis præliatur, 1. Macc. 2.

3798.	146	<p>IVDAS MACCABÆVS   IANNA Dux piorum &amp; fortium   Hyrcanus uirorum, qui sine ordina-   nus Chri- rio   sti</p>
-------	-----	--



Anno Mundi | Anno Regni Graecorum in SYRIA  
 & IVDÆA.

rio imperio, sua sponte | sti attas  
 ad communē defensio= | uus (Luc:  
 nem patriæ, Templi, ue= | 3.) ulti  
 ræ doctrinæ et liberta= | mus prin  
 tis concurrerunt. I. Ma: | ceps de  
 3. 2. Mac: 8. | domo Da

Vicit Duces Antiochi, | uid, Anti  
 Apollonium, et Seronē. | ocho re

147 Antiochus in Persi= | sistere co  
 am proficiscitur. | natus, in

Iudas Maccabæus | terfici  
 pijs precibus & armis | tur.

profligat Gorgiam, & Psalmum  
 119. Epinicij loco canit. I. Macc.  
 3. 4.

148 Vincit Lysiam I. Macc: 4.

2. Macca. II. & TEMPLO RE  
 CUPERATO, ENCÆNIA in  
 stituit. anno ante natum Christum  
 162. die 25. mensis Casleu celebrā  
 da, quorum Iohannes Euangelista  
 cap. 10. meminit.

Iudas Maccabæus, Iudeos in  
 Idumæa, Ammonitide, Galaadite,  
 &

3800



Anno Mundi | Anno Regni Graecorum in  
SYRIA & IVDÆA.

& Galilea liberat. 1. Maccab: 5.  
2. Maccab. 12.

3801. 149 Antiochus Epiphanes, animi  
dolore extinctus est 1. Macca. 6.  
Alij scribunt excussum ex curru  
ita duriter solo allisum esse, ut inde  
morbus foedus & phthiriasis ori-  
retur, qua extinctus sit. 2. Mac. 9.

9. ANTIOCHVS EVPATOR  
filius successit annis 2. Is Mene-  
laum Pontificem uelut facem to-  
tius belli iubet necari 2. Macc. 13.

150. Iudas Maccabæus obsidet arcem  
Sion, quam Antiochi præsidium  
adhuc tenebat 1. Maccab. 6. Sed  
Antiochus obsessis opem tulit.

3803. 151. 10. DEMETRIVS Seleuci Philo-  
patoris filius, qui Romæ pro auo  
Antiocho Magno obses fuerat,  
annis 10.

ALCIMVS Sacerdos perfidus.

1. Macc. 7. 2. Macc. 14.

NICANOR Dux Demetrii blas-  
phemus a Iuda Maccabæo truci-  
datus



Anno Mundi	Anno Regni Græcorum in SYRIA & IVDÆA.
3803	151 datur die 13. Februarij. I. Mac. 7. 2. Macca. 14. 15. ad quam à pri- ma prophanatione Templi sunt di- es 2300. (Dani: 8.) h. sex anni, tres menses & aliquot dies. Fœdus cum Romanis I. Macc. 8. Prælium cum Bacchide Demetrij Duce in quo Iudas Maccabeus, à suis desertus, fortissime dimicans, interficitur. I. Macc. 9.
3804.	152. IONATHAS Dux populi uincit Bacchidem ad Iordanem. I. Mac. 9. Iohannes frater Ionathæ à Naba- thæis captus I. Macc. 9. ONIAS filius Oniæ pontificis, ex patria continuis bellis uastata, in Ægyptum secedit: & in urbe He- liopoli, Templum simile Ierosoly- mitano condit, citata Prophetia Esaia 19. Iosephus lib. 13. cap. 4. Alcimus apoplexia extinctus I. Macc. 9.
	155 Ionathas Bacchidem ad pacem faciendam & reddendos captiuos cogit I. Macc. 9. II. A.



Anno  
MundiAnno Regni Græcorum in SYRIA  
& IVDÆA.

3812.

160

11. ALEXANDER filius Antiochi Epiphanis, Demetrio interfecto, Regnum Syriæ occupat. & IONATHAN summum sacerdotem constituit. I. Maccab: 10.

162.

Alexander, cum Cleopatra filia Ptolemæi Philomet. Ptolemaide nuptias celebrat, quibus Ionathas sacerdos etiam interfuit. I. Maccab: 10.

165.

12. DEMETRIUS Iunior Nicanor filius Demetrii, princeps Antiochi Magni, Alexandrum inuadit.

Ptol. Philometor, uelut opem laturus genero Alexandro, exercitum in Syriam ducit. Sed deprehensus insidijs sibi a genero structis, filiam ipsi ereptam Demetrio despondet & Alexandro profligato, Syriam Demetrio tradit. I. Macc. 10. II.

165.

Ionathas Philistinorum Vrbes occupat. I. Macc. 10. & Demetrium aduersus Antiochenos seditiones defendit I. Mac. II. Chara

L



Anno Mundi	Anno Regni Græcorum in SYRIA & IVDÆÆ.
---------------	--

	167 CHARTAGO a Romanis deleta.
--	--------------------------------

5820.	168 13. ANTIOCHVS Sedetes, Alexā- dri filius Rex Syriæ (annis 3.) Io- nathæ sacerdotium confirmat & Simonem Ionathæ fratrem, totius Syriæ Palæstinæ Ducem constituit I. Maccab. II.
-------	--

Bethsura, munitio quinq; tan-  
tum stadijs a Ierosol. uersus Idu-  
meam distans (2. Macc. II.) a Si-  
mone occupatur. I. Macc. II.

	170 Ionathas, a Tryphone, Antiochi Duce, Regnum inuasuro, deceptus, Ptolemaide capitur & interfici- tur I. Macc. 12. 13.
--	---

5822.	SIMON frater Ionathæ, Summus sacerdos & Dux populi Iudaici, annis 8. I. Macc. 13.
-------	---

	171. 14. TRYPHON, interfecto Antio- cho, Syriæ regnum inuadit: uiuente adhuc Demetrio Iuniore Syriæ Re- ge, cum quo Simon pacem fecit, & Arcem Sion, anno 26. post- quam à Syris munita erat, recepit, I. Macc. 13. Demet-
--	--



Anno Regni Græcorum in SYRIA  
 & IVDÆA.

3824. 172. Demetrius a Parthis captus, I.  
 Maccab. 14.

Romani & Spartani foedus  
 cum gente Iudaica renouant. I.  
 Macc. 14.

172. SIMON, solenni ceremonia,  
 summus Sacerdos, & Dux ac prin-  
 ceptus gentis Iudaicæ, renunciatur  
 I. Maccab. 14.

3826. 174 15. ANTIOCHVS Soter & Pius,  
 Demetrii filius I. Macc. 15. uel  
 frater (ut Iosephus lib. 13. cap: II.  
 scribit) Tryphone pulso, in Syria  
 regnat, & arcem Sion, aliasq; ur-  
 bes, Syris ademptas, repetit. I.  
 Maccab. 15.

Cendebeus Antiochi Dux, à Ioa-  
 hanne Hyrcano Simonis filio pro-  
 fligatur. I. Macc. 15. 16.

177 Simon princeps Iudææ à Pto-  
 lemæo genero interfectus. I.  
 Maccab. 16.

3830. 178. IOHANNES HYRCANVS  
 Sacerdos & princeps populi Iu-  
 daicæ

L 2



Anno Mundi	Anno Regni Græcorum in SYRIA & IVDÆA.
5830	<p>daici annis 13. I. Macc. 16.                      Antiochus Pius urbem Ierosolymã obsidet, sed redditis ab Hyrcano aliquot urbibus, &amp; datis obsidibus ac pecunia, Vrbi parcit. Iosephus lib. 13. cap: 15.</p>
5838.	<p>186. DEMETRIVS à IVDÆÆ.                      Parthis dimissus ite- 9. Iohannes                      rum in Syria regnat Hyrcanus tẽ-                      annis 4. plum in mon-</p>
5842.	<p>190 16. Syri pertasi cru te Garizin, an                      delitatis Demetrii, a no 200. post-                      Ptolemæo Physco- quã conditum                      ne, cui bellũ Deme- erat, demoli-                      trius intulerat, Rc- tus est Ios.                      gẽ petunt. Is Alex- lib. 13. cap.                      andrum Zebennam 16.                      mittit, qui 2. annis                      regnat. Iosephus lib                      13. cap: 16. Iusti-                      nus lib. 39.</p>
5844.	<p>17. ANTIOCVS Dum inter se-                      GRYPHVS Deme- fratres Syriae                      trii filius, cæso A- ci belligerans                      lexandro, regnat annis 29. Cum</p>



Anno  
Mundi:

SYRIÆ

IUDÆÆ

3854.

Cum fratre uterino Antiocho Cyziceno, Antiochi Soteris filio, diuturnum bellum gerit. Iohannes Hyrcanus Urbem SAMARIAM obsidet, & profligatis, Cyziceno Syro, & Ptol: Lathuro Ægyptio, tandem capit & solo æquat. Ios. lib: 13. cap: 17.

IUDÆÆ.

3861.

ARISTOBYLVS Hyrcani filius, prius se Regem Iudæorum nominat. Fratrem Antigonom interfecit.

3862.

Romani Bellū CIMBRICVM gerunt. ALEXANDER Iamneus Rex Iudæorum annis 27. cum Ptolemæo Lathuro atrox bellum gessit. de quo Iosephus lib: 13. cap: 19.

3873.

18. SELEVCVS Antiochi Gryphi filius, & cognati, decennium inter se de Syriæ regno belligeratur.

3883.

Alexandri Iamnei suorum lanienis de Regis anno 22. fatigati, ultrò se

ALEX= L 3 Tigrae



Anno Mundi	Ante Christum natum.	
		I V D Æ Æ.
5889.	73.	ALEXANDRA Tigrani Armenio- Vxor Alexandri rum Regi subicce- post maritum 9. runt, cum SYLLA annis regnans, om- Rome dictatore s- nia ex Phariseorū set. uoluntate administravit. Iosephus lib: 13. cap: 22. HYRCANVS Alexandri filius, à matre summus sacerdos constituitur.
5898.	64.	ARISTOVLVS, Hyrcani frater, matre mortua, Regnū inuadit, & Hyrc- canum priuatum uiuere coëgit annis 4.
5902.	60.	POMPEIUS Imp: Romanus, Mithria- date Ponti & Tigrane Syriæ Regibus uictis, Iudæam occupat, & urbis Iero- solymæ a se expugnate muros destru- it (anno 60. ante natum Christum: quo anno Romæ Cicero COS. fuit) & Ari- stobulum unà cum duobus filijs, Alexan- dro et Antigono, Romã captiuos ducit. Hyrcanum uerò rursus summo sacerdo- tio præficit. Alexãder in uia elapsus, cum multa tur- baret in Iudæa, primū a Gabinio Syriæ procos.



Anno Mundi	Ante Christum natum.	IUDÆÆ.
		procos. uictus, postea initio belli ciuilibus Antiochie à Scipione securi percussus est.
3909	53	Aristobulus Roma profugus, cum de nuo in Iudæa tricennium ferè tumultua tus esset, à Gabinio Syriæ Procos. ite rum captus & Romam missus est.
3916	46	Bellum ciuile inter Cæsarem et Pom peium, cuius initio, Cæsar Aristobulum, Romæ captiuum rursus liberat, & in Iudæam præmittit. Verùm is paulo post moritur, & filius Alexander à Scipione securi percutitur.
3918	44	ANTIPATER Idumeus, cum in bello Ægyptio Iulium Cæsarē fideliter iuuis set, TUTOR Iudææ ab eo cōstitutus est.
	41	Iulius Cæsar, Idibus Marcij Romæ in terfectus est.
	40	Antipater ueneno necatus est.
	39	HERODES filius Antipatri, à Marco Antonio, ex uictoria Philippensi in Asia profecto, Tetrarcha Iudææ cōstituitur.
	38	Antigonus Aristobuli Iudæorum Re gis filius, auxilijs Pacori Parthorum Regis, Herodem pellit, & Hyrcano sa cerdote,



Anno Mundi.	Ante Christum natum
3924.	cerdote, in Parthiam misso, ac Phaselo Herodis fratre, capto, Regnum Iudææ occupat, annis 5.
3925.	37. Herodes Romam ad Antonium fugit: ubi Rex Iudææ à senatu appellatur. Sed de possessione Regni adhuc continuum quadriennium cum Aristobulo dimicat.
3928.	34. Herodes à Sosio adiutus Urbem Ierosolimam expugnat et in Iudæa regnare incipit. Antigonus à Sosio captus, Antiochiam ad Antonium mittitur: qui eum capitali supplicio afficit.
3930.	32. Aristobulus III. Alexandri filius, summus Sacerdos ab Herode factus, triennio post interficitur.
	16. TEMPLUM IEROSOLYMIS splendidissime ab Herode renouari cepit: in cuius ædificatione 8. anni consumpti sunt.
3962	○ FILIVS DEI DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS EX VIRGINE MARIA HOMO NATVS EST.


FINIS.



58  
elo  
ea  
git:  
ced  
um  
at.  
ro:  
re  
ti=  
um  
na  
ne  
die  
in  
pti  
VS  
EX  
A+










38  $\frac{9}{121}$

29.







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

EXPLICATIO  
MALACHIAE  
PROPHETAE,  
ET  
CHRONOLOGIA  
HISTORIAE MACCA-  
baeorum, vsq; ad natum  
Christum deducta.  
DAVID CHYTRAEVS.  
ROSTOCHII  
EXCVDEBAT IACOBVS  
TRANSYLVANVS.  
ANNO M. D. LXVIII. 14

